## Aphronitron.

Nitri ſpuma, æqualem cum nitro potentiam habet, partiũq; eſt magis tenuiũ, aſpectu tenui, farinæ ſimilis.

## Achras, pirum agreſte.

Pirum agreſte, proximã piro facultatem habet, ſed ſed adſtrictiorem, ob hoc uulnera conglutinat maiora.

## Abſynthium.

Abſynthium, calidũ eſt in ordine primo, aridũ autem tertio. Adſtrictoriam & amaram & acrem ſimul qualitates poßidet, propter quod bilioſos uentris humores per egeſtionẽ infernam propellit, aut p urinas euacuat. Quibus autẽ cõtenta in uẽtre pituita eſt, propter aſtrictionẽ nihil iuuat. Succus autẽ eius quã herba ipſa longe calidior eſt.

De his

www.libtool.com.cn


## DE HIS QVAE AB B
*litera incipiunt.*

### Balamus Myrepſica, id eſt, Mirabolanum.

*BAlamus Myrepſica, quod interne habet carnoſum, abſtergendi & ſecandi uim habet. Quod ſi quis cum melicrato biberit drachmæ pondere, facile uomuerit. Aluum etiam per inferna large deijcit. Cum oxicrato inteſtinorum præfractum medetur. Exteriora quoq; cum aceto peruncta, ſanat, nimirum propter abſtergendi uim quam habet. Cortex quoq; eius admodum adſtringit.*

### Bacharus.

*Bacchar, fruticoſa eſt herba, cinnamomo proxima, coronaria, acris. Huius radix decocta, apertiua eſt, urinasq́; & Menſes ciet. Folia adſtringēdi uim habent, & fluxiones cohibendi.*

### Balauſtium.

*Balauſtium, flos eſt agreſtis punicæ, immodice adſtringit. Atq; eo ſanè nomine uetera hulcera ad cicatricem perducit, deſtillationesq́; ſiſtit.*

### Balſamon.

*Balſami lignum deſiccat quidem, & calefacit, ſecundo exceſſu, eſtq́; & tenuium partium. Cæterum ſuccus multo ſubtilior eſt, fructus perſimilis quidē in potentia, ſed longè inferior tenuitate.*

www.libtool.com.cn


## Balote, uel Marrubrum nigrum.

*Marrubrum nigrum, acris & detergentis eſt potentiæ. Impoſitum igitur emplaſtri modo cum ſale, rabidi canis morſibus auxiliatur.*

## Batus rubus.

*In rubo, quod fruticoſum exiſtit, qualitate adſtringente participat. Quo fit ut uulnera glutinet, fluxionesq; ſiſtat. Radix uero, acerbeſcit feruentius, tenuiūq; partiū eſt magis, & pinde in renibus calculos atterit.*

*Fructus, ſi ſit præmaturus, moderatius calefacit & ſtringit. Quamobrem cibo idoneus eſt. Immaturus uero acerbus eſt, & exiccatorius, & maxime reſiccatus, ſimiliter & flos ipſe.*

## Batrachion.

*Batrachion, quatuor habet differentias, omneis uero calidæ & ſiccæ, uehementis ſunt potentiæ, acutæ, uidelicet & cauſticæ. Adeo ut cum dolore exulcerent, quibus tamen ſi quis utatur moderate, exteriora tantum, quæ in cute accidunt, abſtergit. Radix uero propter ſiccitatem ſternutatorium eſt medicamentum.*

## Batrachi, Ranæ.

*Ranæ in iuſculo coctæ, a beſtia morſis commode eduntur. Porrò uſtorum cinis, quoniam ſicciſsimus eſt, cum liquida pice hæmorrogias ſiſtit, et alopecias curat.*

## Bdellium.

*Bdellium, tum Scythicum, tum Arabicum, admodū emollentis eſt facultatis eorum quæ ſunt indurata, ma-*

www.libtool.com.cn


*xime uero quod recens fuerit. Arabicum diureticũ eſt, & digeſtiuum. Vnde calculos atterit.*

## Betonica.

*Betonica, ualde exilibus ramulis eſt herba proxima pulegio frondes habens, ſed tenuiores, καὶ σχεδὸν ἄποια γενομένοις. Seritur plurimum in petroſis locis, qua utuntur ad renũ medicamina. Eſt & Romanis alia quædã Betonica dicta, quã Dioſcorides Ceſtron nominat, alij uero pſichotrophõ. Propterea quod frigidis locis plantari gaudet, nihil ſimile habẽs iam dictæ, præter efficatiam, ad ducendã enĩ urinã utuntur & alia multa conducit nihil æque. Radix eius cum hydromelite pota, uomitum ciet, & folia uentrem ſubducunt.*

## Bechium.

*Bechion, quod alij Bechicon, inde adeo nuncupatũ eſt, quod Tuſſes orthopnoeas iuuet, fuligine eius inſpiratu attracto, Coalitum eſt, ex calida & ſicca ſubſtãtia.*

## Blitum.

*Blitum, holus eſt eſculentum, temperamento humidum & frigidum, in ſecundo conſtitutum ordine.*

## Bulbus.

*Bulbus, ille, qui eſt eſculentus, amaritudinisq; & adſtrictionis particeps eſt aliquantulum. Vulnera conglutinat & abſtergit.*

## Bulbus uomitorius.

*Bulbus uomitorius, multo calidioris eſt tẽperaturæ.*

## Botrys.

www.libtool.com.cn



Botrijs, quam alij ambroſiam, alij uero artemiſiam uocant, planta uinoſa ac fragrans manifeſte. Cum uino pota, orthepnoicis remedio eſt.

## Bubonion.

Bubonion, in Aſtere Attico dictum eſt.

## Bugloſſum.

Bugloſſum, humidum & calidum eſt temperamento. Itaq; uino immiſſum, lætitiam ac hylaritatem efficere dicitur.

## Bunion.

Bunion, ſiue Arction, calidum eſt, & urinam amouet, & Menſes prouocat. Cui ſimile eſt & pſeudobunion.

## Bupreſtis.

Bupreſtis, animalculum, Cantharidi per omnia ſimile, pro qua & in medicaminibus ſupponitur.

## Butyrum.

Butyrum, cōcoquendi & mediocriter digerendi potentiæ, in mollibus corporibus. Bubones igitur & parotides curat, cicatrices attenuat, & maxime dentiū dolorem, quem infantes ſuſtinent dentientes, mitigat. Ad hæc in peripneumonicis effectibus in eclegmate proficit.

## Buphthalmon.

Buphthalmon, ſimilem habet Chamemelo florē, ſed multo maiorem tum acriorem. Proinde & digerit. Adeo ut & duritias ſanet cerato mixtum.

## Brathi Sabina.

Sabina, Cypariſſo æquipollens, calefacit & ſiccat in

tertio

www.libtool.com.cn


tertio ordine. Eſtq́; partium tenuium, & ob hoc uim habet attenuandi & diſtrahendi, ſi potetur. Ad putredines, perinde ut cupreſſus, accommodari poteſt.

## Britannica.

Britannica, adſtringentis pariter & conglutinantis, eſt temperiei, figura ſimilis agreſti Lapatho. Eius ſuccus in uentriculo putredines ſanat.

## Bromos.

Bromos, ſimilem ordeo uim obtinet. Nam deſiccat & digerit mediocriter, ſiue mordicatione. Adſtringit quoq; nonnihil, qua fit, ut uentris diarrhoeas perſanet.

## Bryon Thalaſſion.

Bryon Thalaßion, refrigerat & adſtringit. Inde impoſitum feruentes phlegmonas iuuat.

## Bryon Sphalanchnon.

Bryon Sphlanchnon, quod in quercubus & populis albis & piceis inuenitur, diſtrahendi ſimul & molliendi habet poteſtatem mediocriter. Præcipue quod cedris adhæret.

## Brionia.

De Brionia dictum eſt in uite alba.

# DE HIS QVAE INCIpiunt ab litera L.

## De lacte.

LAc omne ex tribus conſtat eſſentijs, Caſeoſa, ſeroſa, & pingui. Hanc plurimã habere conſpicitur bubulum, ex quo & butyrum

www.libtool.com.cn


butyrum conficitur. At ſerum ipſum extergendi ha-bet potentiam, atq; uentrem ſubducit, ſi quis id per de-coctionem diſpeſcat. Quod uero ex lacte caſeoſum & denſum ineſt, magis emplaſtratur, & eò inprimis no-mine quod acrimoniam hebetat.

Decoctum autem lac διὰ καχλήτων, uel aliter, quodammodo optimum fit dyſſenteriæ, & eorum quæ in uentre ſunt acrium fluxionum. Porrò, lac totum ad acres oculorum fluxiones & alias acrimonias commo dum eſt. Temperatiſsimum lac muliebre, mox caprinũ, deinde aſininum & ouillum, ad poſtræmum bubulum.

## Muſtela.

Muſtelæ combuſtæ cinis, uehementer digerit. Cum aceto igitur illitus, podagricos & arthriticos iuuat, ære factus uero comitialibus prodeſt.

## Galion.

Galium, inde adeo nomen ſortitũ eſt, quod lac coa-gulet. Adſimilem Apparinæ facultatem obtinet, ex-ſiccatoriam & ſubacrem. Flos eius Hæmorragiæ & am-buſtis medetur.

## Galipſis uel Galiopſis.

Galipſis, ſunt qui galibdolon appellent. Vrticæ ſimi-lis herba eſt, maiorem tamen habent folia leuorem & odorem grauem, deſijciẽdi & molliendi duricies, po-tentiæ. Facit & ad ea quæ paſcendo ſerpunt hulcera, emplaſtri modo impoſita.

## Garos uel Garum.

Garum

www.libtool.com.cn



Garus, facultatem habet multum calidam & ſiccã, ac perinde eo quidã ab extra ad hulcera utuntur putreſcentia. Tum dyſſentericis iſchmadicisq; inijciunt.

## Gentiana.

Gentiana, radix efficax cum opus eſt extenuatione, purgatione & obſtructionis liberatione.

## Geranion.

Geranium, unũ quidem folia Anemoniæ ſimilia habet, radicem eſui idoneam. Hæc drachmæ pondere in uino pota, muliebrium locorum inflationes ſoluit. Alterum nullum habet in medicina uſum.

## Terra.

Terra, quælibet exiccat, immiſtæ, alterius ſubſtantiæ, & ſine morſu eſt. Quod ſi etiam ignea quædam illiuis admixta fuerit, & hanc abluta amittit.

## Terra culta.

Cultæ terræ omnis pinguedo utilis eſt, ad omnium partium, quæ poſſunt areficri, curam.

## Lutum Aegyptium.

Luto ægypto utuntur ad intercutaneas & ſpleneticas affectiones, & ad œdimatum quoq; mollicies.

## Lemnia terra.

Lemnia terra miltos, & φραγὶς appellata, ſiccat & ſtringit mediocriter, uenenatorũ pharmacorũ ἀλεξικακία. ſanat & hulcera cacoethe, cum aceto uel uino. Ad hæc & Hæmorrogias & dyſſenterias reſtringit, Quin & nomas ſanat, melicrato prius infuſa, deinde ueromuria.

Sinopia

www.libtool.com.cn



## Sinopica, Miltos.

*Sinopica, Miltos, acerbior Lemnia. Emplaſticis miſcetur facultatibus. Potaq́; latos lumbricos conficit.*

## Samia terra.

*Samia terra, Lemnia multo mitior, echicollaq́;, cuius uſus eſt, Vbi mitigare quæ humidiora ſunt & laxiora, uolemus. Et ſanguinis quoq; Sputiones ſiſtit pota.*

## Seluſina uel Chia.

*Seluſina terra, & Chia, abſtergentior eſt. Quam-obrem quædam mulieres ea utuntur ad faciem, quod areſaciat, & abſtergeat, & perinde hulcera incarnat, & ad cicatricem perducit maxime uero ambuſta.*

## Cimolia.

*Cimolia terra, mixtæ eſt potentiæ refrigerantis ſcilicet & digerẽtis, illota. Abluta autem refrigerat ualentius & ambuſta cum oxycrato medicatur.*

## Ampelitis.

*Ampelitis, ſic dicta quod germinantibus uitibus illinitur, ne σκώληκες beſtiæ, uites depaſcant atq; obladant, ſiccat & diſijcit fortiter.*

## Cretica terra.

*Cretica terra, aëroſa, ſine morſu abſtergit.*

## Eretrias.

*Eretrias, uſta manifeſte adſtringit, ſiccat uero ſine mordicatione Redacta tamen in cinerem melior eſt.*

## Pægnitis.

*Pægnitis ſimilem habet Cimoliæ facultatem. Eſt tamen nigra.*

Armenia.

www.libtool.com.cn


## Armenia.

*Armenia, quam Bolum uocant, ſupramodum exiccat. Quare auxiliatur torminoſis, ſanguinis fluxibus, & ſputis, & Tabi, & diſpinoeæ, propter humiditatẽ. Præterea hulceribus humidis, & peſtiferis affectibus magnifice auxiliatur. Bibitur cum uino tenui, immixto, aut ſi febriat æger, cum aqua. Similem Armeniæ habet poteſtatem, quæ Ochra uocatur, potentiæ digerẽdi, & putrefaciendi. Quo fit, ut admixta ceratis, carnes hulceri ſuperexcreſcẽtes cohibeat, & uacua quoq; repleat.*

## Senecta Anguis.

*Senecta ſerpentis, uehemẽter exiccat, cum aceto igitur elixa, aurium doloribus prodeſt.*

## Senecta Aſpidis.

*Aſpidis exuuiæ, tritæ cum melle, atq; oculis inunctæ, uiſum recuperant.*

## Vermes Terreni, uel Lumbrici.

*Inteſtina terræ contrita, neruisq́; impoſita præciſis, confeſtim & mirabiliter iuuant.*

## Gigarta.

*Gigarta, arida quidem eſt, in ſecunda diſtantia, frigida uero in prima. Itaq; frigiditate ſua omnibus uentris cũ profluuio iunctis affectibus, impendio cõfert.*

## Gingidium.

*Gingidiũ, caliditatẽ obtinet, ſed nõ admodũ manifeſtã. Arefacit autem in ſecũda diſtantia, & adſtringit, ſtomacho amicum.*

Glaucium

www.libtool.com.cn


## Glaucium.

Glaucium, acerbeſcit cum quadam inſuauitate. Cæterum frigefacit manifeſte, adeo ut igni ſacro opem ferat, qui tamen ualidus minime ſit.

## Glaux.

Glaux herba, calida & humida eſt temperamento, quare lactis generandi uires habet.

## Glechon, Pulegium.

Pulegium, calefacit & attenuat uehementer, quare illitum rubificat. Et ex thorace, pulmoneq́; humida, craſſa, glutinoſaq́; facit expuere.

## Sordes balnearum.

Strigmenta, uel ſordes à balneis, calefaciunt mediocriter, molliunt atq; diſcutiunt. Ad ſedis rimas & condylomata illinuntur.

## Glycyrizon.

Glyciriza, tepidæ & humidæ potentiæ eſt, cum quadam tamen acerbitate. Proinde aſperitates lenit, non modo arteriæ, uerumetiã ueſicæ ſcabræ. Siti quoq; congruens medicamentum.

## Glycyſides.

Glycyſida, quã & Pentorobon, & Pæoniam quoq; nominant. Huius radix acris eſt, & ſubamara, ſicca quoq;, & quodámtenus adſtringens. Menſes igitur ciet, renesq́; & hepar repurgat, amygdalæ magnitudine in uino pota. Quod ſi auſterum fuerit uinum, in uentre fluxiones ſiſtit. A collo ſuſpẽſa, comitialẽ morbũ ſanat.

Gnaphalium

www.libtool.com.cn


## Gnaphalium.

*Gnaphalium, inde appellatũ eſt, quod folijs eius mollibus, pro tomento utantur. Sunt autẽ candida & modice adſtringunt. Ac proinde ad dyſſenterias cum uino quopiam auſtero bibuntur.*

## Gongylis.

*Gongylidis, & radix & ſemen uentos cient, & ſemen humanum adaugent, adeoq; & Venerem extimulant.*

## Gorgylon, Seſeli.

*Gorgylon, id quod & Siſeli quoq; uocatur. Calidũ eſt & diureticum, atq; ob id Menſes ducit. Porrò radix in eclegmate, cum melle tincta, thoracis uitia emendat.*

## Gyris, Pollen.

*Gyris, cum amylo potẽtiam æqualem habet, præterquàm quod calidior eſt.*

## Gypſos.

*Gypſos, uel Gypſum ad exiccandum uim emplaſticam admittit. Hæmorrhagias itaq; curat, dilutum cum albo oui liquore. Cæterum combuſtum non æquæ emplaſticum eſt, ſed ualẽtius deſiccat, & repercuſſorium eſt, maxime cum oxicrato.*

# DE HIIS QVAE INcipiunt ab litera Δ.

## Dades.

www.libtool.com.cn


Dades, habent quiddam acerbum, nonnihil etiam concoquunt atq; abſtergent. Cum aceto coctæ, dentium quoq; dolores una cum aceti collutione leniunt. Quod ſi cum melle accipiantur ἀποφλεγματίζουσι. Eclegmatis mixtæ, quæ circa thoracem craſſa reſident fluida, atq; ductilia reddunt.

## Damaſcena.

De Damaſcenis in coccymelis dicetur.

## Damaſonion.

Damaſonion, abſterſoriā facultatem obtinet, qua nō mirū lapillos cōminuit

## Daucus.

Daucus, qui & ſtaphilinus nuncupatur, duplex eſt. Primi quidem radix, quia flatuoſa eſt, Venerem prouitat. Agreſtis planè exſufflationis expers eſt. Ac prouide urinam Menſesq; ciet. Eodem modo & herba ipſa.

## Daphne.

Daphnes arboris folia areſaciunt, & uehementer calefaciunt, plus etiam fructus. Verum radicis cortex, amarus & quiddam habens acerbi, calculos confringit. Et hepaticos iuuat, bibita in uino odorato, triobolari pondere.

## Daphne herba.

Daphnes herba, quam & daphnem Alexandrinam appellant, calida, acris & ſubamara eſt, ſimulq; & urinas & Menſes prolicit. Eadem facultate prædita eſt,

quæ

www.libtool.com.cn


*quæ Daphnoides & Chamedaphne à nonnullis uocatur, quæ edi etiam aſſolet.*

## Pellis Ouina.

*Pellis ouina recens detracta, circumpoſitaq́; ijs, qui quocumq́; modo fuerint uerberati, mirabiliter adiuuat.*

## Pellis hippotami.

*Pellis hippotami uſta, & cum aqua ſuper impoſita tubera diſpergit.*

## Pellis Viperæ.

*Porrò Viperæ intrita & Cataplaſmata, portentoſe in alopecia pilos hærere facit.*

## De ueteri calciamentorum corio.

*Veteres calciamentorum ſoleæ, ſi crementur in ſiccum cinerem reſoluuntur, qui ex calceis pedum attritus medicatur, niſi forte ſuccenſa fuerint, aut ambuſta.*

## Dictamus.

*Dictamon magis tenuium partium eſt pulegio, cætera illi ſimile. At quod uocatur pſeudodictamum, imbecillius eſt.*

## Dioniſias.

*Dicta eſt in Andraſemo.*

## Diphriges.

*Diphriges, miſtæ potentiæ. Habet enim in ſe quiddam mediocriter adſtringens, & mediocriter acre. Quamobrem hulcerum rebellium ſalubre medicamen eſt.*

## Dipſacon.

www.libtool.com.cn

Dipſaci, ſpinæ radix, in ſecundo eſt ordine areſacientium. Habet etiam quiddam abſtergens.

## Dorycnion.

Dorycnion, ſimile temperamento eſt papaueri & mãdragoræ, immodiceq́; refrigerat. Quamobrem paullulum quidem ſtupefacit, pluſculum uero ſumptum interimit.

## Draconcium.

Draconcium, quiddam aro perſimile habet. Sed acrius eſt aro, amarius, calidius & magis partium tenuinum. Habet enim leuiculam quandam aſtrictionem. Itaq́; radix pota, inteſtina expurgat. Hulceribus etiam quæ κακοήθη appellant, optimum eſt remedium. Folia ad eadem pollent. Fructus ualentior eſt.

## Dryopteris.

Dryopteris, dulcis, acris, & ſubamara eſt, id eſt, miſtæ qualitatis. In radice uero item acerbam potentiam habet ſepticam. Proinde etiam pilis glabram cutem efficit.

## Quercus.

Quercus, & folia & fructus ſiccæ potentiæ ſunt, in genere ſcilicet eorum, quæ tepida æſtimantur. Ideo hulcera recẽtia glutinare & phlegmonas incipientes ſanare creditur. Cæterũ quod ſub putamine glandis membranæ ſimile, tum quod ſub glandis ipſius caliculo latet, ea uidelicet quæ fructus carnem conueſtit, adſtringen-

tius

www.libtool.com.cn



*tius eſt, ad profluuium muliebre, & reliquas quoque fluxiones datur.*

## DE HIIS QVAE INcipiunt ab E.

### Ebenus.

*EBenus, lignum calidæ eſt & obſtergentis, partiumq́; tenuiũ potentiæ. Quamobrem quæ pupillas obfuſcant, extergere creditur. Miſcetur & alijs remedijs ocularibus.*

### Cerebrum Leporis.

*Cerebrum leporis coctũ attritumq́; & eſum, pueris dentientibus utile eſſe ferunt. Quidam etiam aduerſus metum utiliter edi cerebrum hoc prodidere.*

### Cerebrum Galli.

*Gallinaceorum cerebrum, ut inquit Dioſcorides, datur in potione cum uino contra uenatorũ morſus. Compeſcit idem ex cerebri mẽbranis erumpentẽ ſanguinẽ.*

### Cerebrum Cameli & Muſtelæ.

*Cerebrum Cameli, autore Galeno, ſiccatum, in acetoq́; propinatũ, Epilepticos ſanat. Quod idem & Muſtelæ cerebrum præſtare dicitur.*

### Cerebrum Chelido.

*Hirundinum cerebrum cum melle mixtum, oculorũ ſuffuſiones, compeſcit.*

### Cerebrum Ouillum.

www.libtool.com.cn


Cerebrum ouillum præparatum, eodem modo quo leporis cerebellum, puerorum doloribus, quem dentiendo patiuntur, accurate medetur.

## Olea.

Oliuæ rami quantum habent adſtrictionis, tantum & frigiditatis participes ſunt. Fructus uero, ſiquidem ad unguem maturuit, moderate calidus eſt. Sin immaturus, tum adſtringit tum refrigerat.

## Oleæ Aethiopicæ lachryma.

Oleæ Aethiopicæ lachryma, ſimilis Armeniaco tenello. Adſtergentis eſt potentiæ, unde contra cicatrices, albugines, & hebetes oculos, ipſo utuntur. Item ad dentium dolores, quorũ cauis oportet immittere. Sunt qui hanc agreſtem oleam eſſe uelint.

## Oleum ex drupis.

Oleum ex drupis dulce, & calidũ eſt mediocriter, ſed magis humectorium.

## Oleum ex crudo Omphacio.

Omotribes, quanto plus adſtringit, tanto etiam magis refrigerat.

## Oleum ablutum.

Oleum lotum minime omnium mordax eſt.

## Oleum uetus.

Vetus oleum, quanto antiquius, tanto calidius fit. Potentioribusq; ad euaporandum uiribus, maxime ſi tenuium partium à principio fuerit. Huiuſmodi fere habetur, quod purum perſpicuumq;. Et modicum eius per

cutem

www.libtool.com.cn


*cutem iniunctum celeriter à cute inbibitur, quale eſt Sabinum.*

## Oleum agreſtis oleę.

*Oleaſtri ſiue agreſtis oleæ oleum, abſtergentis ſimul & adſtringentis potentiæ eſt, ſed omnium plane ſqualidiſſimum.*

## Oleum Cicinum.

*Cicinum oleum, quā ſimilimū oleo ex oliua uetuſta.*

## Seſaminum Raphaninum.

*Cætera olea, ſcilicet Raphaninum, Seſaminum, & ſi quæ ſunt alia, pro cuiusq; natura, ex quibus fiunt, uariantur & potentiarum differentias ſortiuntur.*

## Oleomel.

*Oleomel, in Syria ex arboris trunco melle craſſius & dulcius fluit, quod potum heminarum duarum pondere cum aquæ hemina una, per aluum cruda & biloſa trahit. Veruntamen quaſi ueternoſi torpent id accipientes quod timere non oportet, ſed excitandi ſunt.*

## Elaterium.

*Elaterium ſyluestris cucumeris ſuccus. Fertur ſecundum obtinere ordinem calefacientium. Menſes prouocat, & fœtum interimit appoſitum, propter immodicam amaritudinem. Euacuat & per nares cum lacte inſtillatum. Purgat per inferna phlegma. Interdumq; & ſanguinem.*

www.libtool.com.cn


## Elate.

*Elate arbor, calefacit & ſiccat, modo quo & populus. De Rheſina eius, in Rheſinis dicetur.*

## Elatine.

*Elatine, herba eſt perſimilis Helxine, mediocriter tum refrigerat, tum adſtringit.*

## Elaphoboſcos.

*Elaphoboſcus, impenſe calefacit & ſubſtringit.*

## Elenium, Enula Campana.

*Elenium, calidũ eſt & ſiccum, cum humiditate incidere ualenti. Quapropter eclegmatis mixtum, craſſos ex thorace humores educit. Rubificãt eius quoq; ui partes, frigidis ac diuturnis uexatas affectibus.*

## Eleoſelinon.

*Eleoſelinon, quod in aquoſis locis prouenit. Eadem poteſt, quæ hortenſe & domeſticum Selinon, licet maius eo ſit.*

## Elephas.

*Ex unguibus Elephantis ramenta cataplaſmata Paronychias ſanant. Cæterum quæ ex oßibus eius ſunt & dentibus, ſiccæ atq; abſtergentis ſunt potentiæ, atque eiuſmodi quoq; miſcentur medicinis.*

## Helcyſmata.

*Helcyſma, argenti eſt ſcoria, molibdenæ conſimilem facultatem habens. Stringit enim ſimulatq; euellit.*

Quare

www.libtool.com.cn



*Quare emplaſtris fuſcis, ei ἀφουλωτικαῖς admiſcetur*

## Elleborus uerarum.

*Helleborus, uterq; calefacit, & ſiccat in tertia diſtantia, unde fit, ut abſtergentis & acris ſint potentiæ, Ad leproſa quæq; commodi ſunt. Niger etiam fiſtulis tribus diebus affuſus, callum detrahit.*

## Elichryſon.

*Helichryſon, ſunt qui chriſanton, ſunt etiã qui amaranthum uocent. Coronaria planta, comam habet, aureum colorem oſtendentem,. Si quis cum uino biberit, urinæ anguſtijs, ſerpentium morſibus, coxendicis doloribus, & ruptis opitulatur. Menſes eadem trahit, concretosq; grumos diſſoluit. Cum œnomelite pota, catarrhis auxiliatur.*

## Elxine.

*Elxine, alij Perdicium nominant, alij Parthenium, alij Sideritim, ſunt qui Heracleam etiã appellitent. Vis ei ineſt abſtergendi, & ſenſim conſtringendi, cum humiditate ſuffrigida.*

## Elxinæ.

*Elxinæ, ea quæ alio nomine Ciſſampelos, digerendi facultatem obtinet.*

## Elimus Panicum.

*Elimus, quæ & Meline, Milio ſimilis, ſiccatoriæ & refrigerantis potentiæ, ſiquidem foris emplaſtretur. Siſtit quoq; uentris fluxiones.*

## Empetron.

www.libtool.com.cn



*Empetron, quæ & Praſoides, catharticum eſt pharmacum, bilem ac pituitam educens. Guſtui ſalſum eſt, propter quod & abſtergit.*

## Epithymum.

*Epythymum, exiccat ac calefacit in tertio gradu, Thymo ad omnia efficacius.*

## Epimydion.

*Epimedij uis eſt moderate refrigeratoria, cũ aquea humiditate. Quæ ſanè cataplaſmate ſuper impoſita, mammas turgentes cuſtodit. Aiunt quoq; potam ſterilitatem parere.*

## Epimelis.

*Epimelis, quæ & Vnedon ab Italiæ agricolis inſcribitur. Eſt autem agreſtis pomus, cuius fructus acerbus quidem eſt, nihilominus tamen ſtomacho ingratus, & capitis dolores ciens.*

## Epipactis.

*Epipactis, quæ aliâs Elleborinæ uocatur, contra uenena & iecinoris uicia bibitur.*

## Erebinthus.

*Erebinthus, familiare legumen, flatuoſum eſt, copioſi nutrimẽti, aluo mouendæ, & ciendæ urinæ atq; lacti, & ſemini generando accommodũ, prolicit idẽ & Menſes. Cæterum, quod uocatur Crium, hoc eſt, Arietinum, huius decoctum calculos renũ confringit, et maxime nigra, quæ Orobea uocant, his omnibus calidiora, et ſubamara. Agreſtes tamẽ ad oĩa domeſticis ſunt efficatiores.*

Lanæ

www.libtool.com.cn



### Lanæ ſordidæ, uel ſuccidæ.

Lanæ ſordidæ, utiles ſunt ad irrigationes. Siquidem eorum ὄισυπος butyro concoquendo proximus eſt. Eſt quædam, quæ non ſordida eſt. Porrô uſta uim habet acrem & calidam, ſimulq; & ſiccam, unà cum partium tenuitate, quæ molles, nimiumq; humidas hulcerum carnes celerrime ſanat.

### Erice.

Erice, ſine mordicatione digerendi uim habet, eiuſq; tum flore, tum folijs uti licebit.

### Erynos, Ephrydros.

Erynos Ephrydros, eſt herba, cuius fructus pondere drachmarum duarum, cũ mellis drachmis 4. illitus, oculorum fluxũ ſiſtit. Succus uero auriũ doloribus confert.

### Hermodactylus.

Hermodactyli radix, catharticæ eſt potentiæ, tũ per ſeipſam, tum decoctum eius recte & artheticis, tempore quo humores deſtillant, datur. Sed ſtomacho admodum aduerſa.

### Herpillum.

Herpillos, calefacit, adeo ut & urinam & Menſes moueat.

### Erythrodanum.

Erithrodanum, tinctorũ rubea, radix eſt, tam acerba & amara, ut lienem, hepar, & renes repurget, præterea & ſanguinem meire faciat, Menſeſq; moueat, & quæ cuti hærent, ſordes extergat.

Eryſimon

www.libtool.com.cn



## Eryſimon.

Eryſimi ſemen, potentia igneum eſt, & excalefaciens, naſturcio æquale. Quapropter toſtum in fermento, thoracem purgat, & in eclegmatis duricias emollit, & clancularios canceres medicatur, cataplaſmate impoſitum.

## Euzomon.

Euzomon, haud dubium priori potentia ſimiliter calefacit, ſed flatuoſius eſt, proinde ad concubitum proritat. Semen urinas cit, Sed tamen agreſte ſatiuo uiribus longe præpollet,

## Eupatorium.

Eupatorium, tenuium partium, & ſecantis potentiæ eſt, ſine calore manifeſto. Inde iecoris purgat opilationes, quandam etiam participat acerbitatem.

## Euphorbium.

Euphorbium, ardentis eſt potentiæ, & tenuium partium, ſimile alijs ſuccis.

## Ephemeron.

Ephemeron, non illud δηλητήριον, id eſt, letale. Sed quod Iris agreſtis uocatur, miſtæ potẽtiæ, et repulſiuæ.

## Vipera.

Viperæ carnes, calidæ & ſiccæ ſunt uehementer, per totum corpus cutem purgantes. Vnde multum elephantia correpti, edentes & bibentes ipſas, ſanati ſunt. Quæ uero in maritimis & alijs ſiccis locis uictitant, ſicciores magis ſunt.

www.libtool.com.cn


## Echinos.

*Echinus, herba, acerbæ, explodendiq́;, & areſaciendi facultatis eſt.*

## Echinus terreſtris.

*Echini terreſtris fel, capillos defluentes figit. Inueterata eiuſdem caro fortiter digerit, ſiccatq́;. Pota igitur elephantias & cachexias ſanat. Cutis uſta, tum ualentius ſiccat, tum digerit quoq; magis. Alopecias igitur cũ pice liquida inuncta, ſanat.*

## Echinus marinus.

*Quod de marino Echino eſui aptum eſt, urinam cit, & bonam facit aluum. Cuius quoq; teſta uſta, ſimilem terreſtri uirtutem habet.*

## Echion.

*Sunt, qui Doriada, & qui Alcibiadion uocent, non ſolum ſerpentium morſibus, cum uino pota, ſuccurrit, uerumetiam præpota, morſus eorum arcet.*

## Hepſema.

*Muſtum decoctum, quod alij Syræon appellant, calet mediocriter, & concoquit. Emplaſticam igitur habet uim, ſine mordicatione.*

# DE HIS, QVAE INCIPIunt ab litera Z.

## Zeia.

*ZEia, ſimilem habet tritico facultatem, quodammodo in medio inter calefaciendum & refrigerandum. Senſim quoq; deſiccat, & emplaſtica eſt.*

Zingiberis

www.libtool.com.cn


## Zingiber.

*Zingiberis radix, ualide calefacit, ſed non primo ſtatim occurſu. Illaboratam, & craßiorem participat humiditatẽ, propter quod perforatur facillime, & firmã conſeruat caliditatem.*

## Zithus.

*Zithus, compoſitæ eſt ſubſtantiæ, quippe acrior eſt, utpote qui ex putredine proueniat, frigidus ratione acoris, unde mali ſucci iudicatur.*

## Zyme, fermentum.

*Fermentum, & ipſum ex contrarijs potentijs conſiſtit, particeps nanq; eſt, aciditatis cuiuſdam frigidæ, & caliditatis ex putredine natæ, cui accedit & ea, quæ ex ſale eſt & farina. Itaq; mediocriter, tum calet, tum digerit.*

## Zomos, piſcium iura.

*Ius recentium piſcium, uentrem ſubducit, per ſe pariter, & cum uino potum, & proprie ex phycidibus, ſcorpionibus, iulidibus, percis, & ſaxatilibus alijs teneris, ſimplici cum aqua, additis inſuper anetho, ſale, & oleo decoctis. Similiter eorum quæ teſtaceam cutem habent Tellinarum, Hiatularum, Conchularum, & ueteris Galli, cum ſale multo cocti, iuſcula, ciendi uirtutẽ habent. Ex diuerſo gallinæ ἐπισχετικός eſt.*

## DE HIS QVAE ICIPIVNT *ab litera H.*

## Menta odorata.

Hedioſmon

www.libtool.com.cn


*HEdioſmon, calidum & tenuium partiũ, acris potentiæ, & ex tertio ferè ordine, cum quadam humiditate ſemicocta, propter quam in Venerem excitat. Habet & quiddam amarum, & illo quidẽ lumbricos interficit. Ratione acerbitatis uero, ſi cum oxycrato bibatur, recẽtes ſanguinis reiectiões reprimit.*

## Hædyſaron.

*Hedíſarum, aut pelecynus, amarum & ſubacerbum eſt, quamobrem potum, gratum eſt ſtomacho, & uiſcerum obſtructiones expurgat.*

## Heliotropium.

*Heliotropium maius, quod & ſcorpiuron uocatur, calidæ & ſiccæ, atq; abſtergentis eſt potentiæ. Cuius decoctum potum, phlegma ducit & choleram. Fructus uero eius cataplaſmate impoſitus, myrmecias, & ſi quæ ſunt alia eius generis, deſiccat.*

## Heliotropium minus.

*Minus Heliotropium, eadem poteſt. Proinde cũ nitro, hyſſopo, & cardamomo, uentris lumbricos pellit.*

## Electrum.

*Electrum, Populi arboris lachryma, quæ ex ea deſtillans, congelaſcit colore auri. Tritum, potumq;, ſtomachi & alui fluores, & ſanguinem ſiſtit.*

## Hemerocallis.

*Hemerocallis, radix ſimilem lilio facultatem habet, prodeſtq; non ſecus, atq; lilium, igni ambuſtis.*

Hemionitis

www.libtool.com.cn



## Hemionitis.

*Hemionitis, adſtringendi uires cum amaritudine habet, propter quod in aceto ad minuendas lienes bibitur.*

## Hepar.

*Hepar rabioſi canis toſtum atq; comeſtum, à cane rabienti morſis auxiliari creditur.*

## Hepar Capræ.

*Hepatis capræ ſanies, inſtillata oculis luſcioſis, quos Græci uocant νυκτάλωπας, iuuat. Et decocti uaporē ſi quis acceperit, ſimiliter oculis prodeſt. Tradūt quoq; caprini iecinoris cibo, comitiales, imprimis deprehendi.*

## Hepar Capri.

*Hepar caprinum, ad eadem facit, ad quæ & capræ.*

## Hepar Lacertæ.

*Lacertæ hepar, dentibus putridis atq; arroſis impoſitum, indolentiam largitur.*

## Hepar Lupi.

*Hepar lupi, unà cum Eupatorio præcipuum pharmacum hepaticum efficitur.*

## Hepar Aſini.

*Iecur aſini, comitialibus in cibo toſtum, prodeſt.*

## Iecur Apri.

*Iecur apri recens, ſi arefactum teratur, ex uino potum, contra ſerpentum, uulcrumq; morſus, auxilio eſt.*

## Hepar Mergi.

*Mergi iecur ſiccum potum, calculos extrudit.*

## Erigeron.

Erigeron

www.libtool.com.cn


Erigeron, mixtam habet potentiam, refrigeratoriam uidelicet, & mediocriter digerentem.

## Eringium.

Erinigium, calefacit quidem, ſed non manifeſtario. Exiccat uero haud ſegniter.

## DE HIIS QVAE INcipiunt à litera θ.

## Aqua Maris.

Marina aqua, adſtringit & calefacit, medio modo, & pota, ſtomacho eſt inimica. Nam uentrem conturbat, & pituitam educit. Calida tamen exhauſta, attrahit atque digerit.

## Thaliettrum.

Vim habet ſiccam, ſine morſu. Itaq; hulcera inueterata ad cicatricem perducit.

## Thapſia.

Thapſia, acrem ac ualenter calefacientem facultatem cum humiditate coniunctam habet. Quamobrem ex alto uiolenter extrahit, extractumq; digerit.

## Sulphur.

Sulphur, retrahẽdi uim poßidet, eſtq; temperamenti calidi, atq; eſſentiæ tenuis, adeo ut ad multa uenenatorum animalium reſiſtat, et maxime aduerſus turturem marinum, & draconem. Præterea ſiccum inſperſum, uel mixtũ ſaliua, aut certe pueri urina uel oleo, aut ax=

www.libtool.com.cn


*unguia porci,ſiue melle,pſoras mirabiliter ſanat.*

## Lupinus.

*Thermus,id eſt,lupinus,ille qui eſui idoneus eſt, em plaſticæ eſt potentiæ, amarus diſcutiensq; & ſiccus, abſq; mordicatione. Vermes perimit, tam cataplaſmate illitus, quã etiam potus. Quin & interanea, atq; inteſtina repurgat, cum ruta & pipere decoctus potusq;. Cutem etiam emundat, & tubera diſcutit, cum oxymelle, ad inſtar Cataplaſmatis illitus.*

## Lupinus Agreſtis.

*Agreſtis lupinus amarior eſt, & ad omnia domeſtico ualentior.*

## Thelipteris.

*Thelipterin, alij Nymphæam, uel pterin appellitãt. Et figura & potẽtia filici ſimilis eſt. Pota cum uino, rotundos & latos uentris lumbricos occidit, Embrionem in utero corrumpit, & abortire facit. Folia eius commeſta, uentrem molliunt.*

## Thlaſpis.

*Thlaſpi, ſemen eſt, & ipſum acre habet quiddam, adeo ut internos abſceſſus potũ diſrumpat, Menſes ciet & fœtum necat. Per ſedem infuſum ſanguinolenta euacuat. Iſchiadibus prodeſt, & tum ſuperne etiam tũ inferne, bilioſos humores euacuat, oxybaphi menſura pota.*

## Thridax lactuca.

*Lactuca, frigidũ & humidũ holus, nõ utiq; extremo modo, ſed ut fontana aqua pfrigida. Ideo aduerſus phlegmones calidas congruit. Pota ſitum etiam extinguit, & ſeminis*

www.libtool.com.cn



*& ſeminis fluxus cohibet, nec non & Veneris in ſomno imaginationes.*

## Lactuca agreſtis.

*Agreſtis lactuca, hac minor & ipſa refrigerat & humectat, ſed ſucculentior eſt.*

## Thymus.

*Thymus, calefacit & ſiccat in tertio ordine, lubricos & quoſq; denſos humores incidit.*

## Thymbra.

*Thymbra, præſertim agreſtis, proximam Thymo uim habet. Hortēſis, etiā ſi uiribus imbecillior, ad opſomia tamen melior.*

## Thymelęa.

*Thymelæa, ex grano Guidio fit, cui æqualem poteſtatem habet.*

## DE HIIS QVAE INcipiunt à litera I.

*IDæa radix, & guſtu & potentia acerba, ſanguinis profluuia & fluxus, tum pota, tum foris impoſita, curat.*

## Sudor.

*Sudor, ſi ſeparatim quidē colligatur, efficax eſt, miſcetur aūt in paleſtris ſeſe exercitantiū uiæ habenti, & fit totū digerētis potētiæ, nutricibus ardētibus præſens eſt remediū, & ad extinguēdū quod in ipſis ardet. Præſidio eſt & aduerſus Bubones. Si uero ſiccus fuerit, humectatur cum Caprino uel roſeo oleo.*

## Ixos uiſcum.

www.libtool.com.cn



Ixos, calefacit cum quadam acrimonia. Itaq; ualenter ex profundo humores extrahit, easq; digerit, Tapſiæ ſimilis, niſi quod illa eſt ἀγριώτερος.

## Ios, Viola.

Violæ folia, aquoſam atq; ſubfrigidam ſubſtantiam ſuperantem poßident.

## Ios, Aerugo.

Aerugo guſtantibus acrem qualitatem offert digerens, detrahens, & liquans, non teneram modo, ſed & duram carnem. Quod ſi pauculum eius, cerato non pauco admiſceas, id quod ex ambolus miſtum eſt, citra morſum exterget.

## Hippocampus.

Hippocampus, marinũ eſt animal. Eius cremati cinis cum liquida pice, alopecias replet.

## Hippolapathon, Grandis rumex.

Hippolapathon, naſcitur in paluſtribus, habetq; eaſdem cum lapatho uires.

## Hippomarathron.

Hippomarathron, Canchri ſimile, paulo ſiccioris potentiæ quàm ſit marathrum, propter quod aluum ſiſtit. Calculos atterit & Menſes trahit.

## De alio Hippomarathro.

Aliud Hippomarathrũ ſemẽ habet Coriãdro ſimile, facultate quidẽ hippomarathro ſimile, ſed imbecillius.

## Hippopotamus.

Hippopotamus, id eſt, equi fluuiatilis teſticulus exiccatus,

www.libtool.com.cn



catus, ac potus, cõtra ſerpentiũ morſus utiliter bibitur.

## Hippoſelinon.

Hippoſelinon, uulgato ſelino facultati admodum ſimile, præterquam quod illo debilius eſt.

## Hippuris.

Hippuris, adſtringentem cum amaritudine facultatem poßidet, ac proinde ualenter, ſimulq; citra mordicationem exicceat. Vulnera igitur maxima cõglutinat, & quas uocant ἐντεροκήλας, ſubinde & alias fluxus qualeſcunq; cum uino pota.

## Hippophaes.

Hippophaes, ab alijs hippophæos, quo ueſtes uellicando poliunt. Surculoſus frutex eſt, è cuius radice ſuccus exprimitur, ueluti è Tapſia, qui oboli pondere datus, cũ erui farina, purgat Cholerã & phlegma. Quin & tota plantula ſiccata Cartharticam uim retinet.

## Iris.

Iris, calida eſt, extenuatq; ualẽter. Adſtringit quoq; ac concoquit. Proinde tußi utilis fit, humoreſq; non facile excreabiles extenuat. Torminibus medetur, & ſordida hulcera emundat. Pota cũ melicrato, uentrẽ ducit.

## Iſatis.

Iſatis domeſtica, qua tinctores utũtur, facultatis eſt exiccantis. Habens quiddã etiã adſtringens. Ideoq; magna hulcera, durorũ corporũ glutinat. Et ſanguinis ꝓfluuio laborantib. auxiliatur. Tumores oedematodeis digerit. Obſiſtit etiã efficaciter cunctis hulceribus malignis, quæ Cacocthe uocantur.

www.libtool.com.cn



## Iris ſylueſtris.

*Iris ſylueſtris, præterquã quod magis mordicat, etiã ſiccioris eſt potentiæ, potentiſsime etiam putredinibus obſiſtit. Ad cætera uero deterior. Alioqui propter facultatis robur, lienoſis quoq; utilis.*

## Iſopyron, aut Phaſiolon.

*Iſopyron, uel phaſiolon, ſemen amarum & ſubacerbum habet. Extergit itaq; & incidit humores craſſos, cũ hoc ut corpora cõtrahat atq; cõſtringat. Purgat etiã ex alto. Et ſanguinem ſpuentibus non eſt aduerſum.*

## Itea, Salix.

*Salicis, tum folia tum flores, ſine acredine ſiccæ ſunt potentiæ. Etiamſi modice adſtringant. Cortex ſiccior, Cuius uſti cinis, ex hijs eſt, quæ cum aceto immodice deſiccant. Clauos & myrmetias, & quicquid eſt eius generis.*

## Ichthyocolla.

*Glutem piſcium, Emplaſticæ & ſiccæ eſt facultatis. Vtiliter miſcetur glutinatiuis Emplaſtris, & hijs quæ contra lepras, & quæ ad nitorem leuoremq; uultus conficiuntur.*

## DE HIIS QVAE INcipiunt à litera κ.

## Cancanus.

*Cancani radix ſicca eſt mediocriter, & ſine mordicatiõe Emplaſtica. Quapropter aſperã arteriã in eclegmate, & cũ uino iuuat, aut ſubacta etiam. Quemadmodum tragacantha, uel glycyriza.*

Canchamum.

www.libtool.com.cn

## Canchamum.

*Canchamum, lachryma eſt in Arabia naſcẽtis arboris, myrrhæ ſimilitudine, et uiroſo in guſtu odore. Vſus eius ad Thymiamata, id eſt, ſuccenſionẽ odorũ, & uaporationes. Facultatem habet, pinguia quæq; maceran di abſtergendiq;, & ab obſtructione liberandi.*

## Cadmiæ.

*Cadmiæ ambæ exiccant. At craßiorũ partium eſt, quæ uocatur βοτρυΐτις, magis tenuiũ parcium πλακίτης. Vſta cadmia ſine mordicatione ſiccat & deterg it. Vtilis ad hulcera, carnis repletionẽ poſcẽtia, & in oculis & in toto corpore, maxime in corporibus humidioribus molliorıbusq;, At in cõpactioribus, efficatioribus opus erit.*

## Cacalia.

*Cacalia, ſimilẽ cũ cancano facultatem & utilitatem habet.*

## Calamagroſtis.

*Calamagroſtis deſiccat, & proinde ſuccus ſiue decoctũ radicũ, opththalamitis facultatibus miſcetur. Semen urinam ciet, adeoq; & ſtomacho conuenit.*

## Calaminthe.

*Calaminthe, calidi & ſicci tẽperamenti eſt, ex tertio quodãmodo ordine. Partiũ quoq; tenuiũ cũ acrimonia, multo ualentior Hedyoſmo ſiue pulegio, nẽpe agreſtis ipſe Hedyoſmos. Promptiter ergo quæquæ in profundo hærent ad ſuperficiem extrahit. Nec nõ eadẽ ratione & ſudores prolicit. Vniuerſum præterea corpus diſtrahit, febriũ rigores, cũ oleo trita, ſubinde quieſcere facit. Et Iſchradicis nihil adeo præſentaneum remedium*

www.libtool.com.cn

dium eſt. Quæ cuti adhærēt, humores malas abſtergit.

## Calamus aromaticus.

Calamus aromaticus, calefacit & ſiccat in ſecundo ordine. Habet aūt quiddā partium tenuium ſtipticūq;. Vrinā igitur ducit & ſtomachicis, quæq; ad hepar & ſecundas faciūt facultatibus, commode miſcetur.

## Calamus phragmites.

Calamus phragmites abſtergit, cæterum folia uirentia mediocriter refrigerant.

## Calami Cortex.

Calami aromatici cortex uſtus, calefacit ferè in tertia diſtantia. Radicem eius cū bulbis cataplaſmate impoſitam tela, & ſpinas extrahere ferunt.

## Campæ.

Campæ, id eſt, quæ in holeribus naſcuntur erucæ, à uenenatorū iniurijs, quæ ictū aut morſu uenenū relinquunt tritæ, ex oleo inunctæ, ferūtur homines ſeruare.

## Cantharides.

Cantharides, quæ in tritico inueniuntur, luteos & obliquos zingulos habentes, feruentis aceti uapore ſuffocati, uſq; dū necentur, ungues ψορώδεις, ut Græci uocant, exterunt, cum cerato. Clauos quoq; eijciunt & leproſa quæq; medicantur. Numerantur inter medicamenta cauſtica, & quæ uim habent erodendi. Quidam earum quiddam in medicamenta urinam mouentia miſcentes, miniſtrauerunt.

## Cannabis.

Cannabis fructus, flatus extinguit adeoq; deſiccat, ut

genitu=

www.libtool.com.cn


genituram exiccet. Verum ſuccus uiridis ad aurium dolores, quæ uidelicet ex obſtructione ſunt, facit.

## Canopon.

Canopon, Actc flos eſt, de quo in ſuperioribus dictum eſt.

## Capnos, Fumus.

Capnion, uel Capnos, ſic inde adpellata herba, quia ſuccus eius, non paululum lachrymas trahit. Oculorum aciem exacuit, acris ſimul & amaræ qualitatis. Ad hæc urinas quoq; multa bilioſa educit, medeturq́; iecoris opilationibus & languoribus. Stomachum iuuat, & uentrem ſubducit.

## Capparis.

Capparis radix, abſtergit, purgat, incidit, & diſcutit cum quadam amaritudine, ſimul & acrimonia. Porrô etiam contrahere, denſare, conſtringere quoq; idonea, cum quadam acerbitate, propter quod lienes induratos iuuat pota. Et foris impoſita, Menſes mouet, & ex capite purgat, detrahitq́;, ac hulceribus etiam accommoda, quæ cacoethe appellantur, & dentium dolores mitigat. Tumores diſcutit, & uitiligines. Subinde etiam auribus uermes extrahit. Folia & fructus ſimilem uim obtinēt, imbecillioris tamen potentiæ.

## Naſturcium.

Cardami ſemen, adurentis naturæ eſt, uelut ſinapi, proinde rubificat cataplaſmate impoſitū. Craſſos quoq; humores cū alijs potum, ſanat. Herba ipſa propè eiuſ=

www.libtool.com.cn


dem eſt facultatis cum ſemine. Verum humida eſt mediocriter, & cruda in obſonijs eſtur.

## Cardamomum.

Cardamomum, acre quidem & hoc, ſed Naſturcio multo imbecillius. Habet quiddā etiā amaritudinis, propter quod uermes necat, & pſoras cū aceto abſtergit.

## Caris.

Caris reſoluta, cū bryoniæ radice pota, uermes occidit

## Cancri fluuiales.

Cancrorum fluuialiū uſtorum cinis exiccatorius eſt, ſimilis cineri Echinorum, & Cochlearum, à proprietate tamen ſubſtantiæ ſuæ mirabilis eſt in his, qui à cane rabioſo ſunt demorſi, ſi in potu exhibeatur.

## Cancri marini.

Cancri marini, multis numeris prioribus ſunt ſicciores, & non niſi ualenter ſiccare uolentibus, uſui ſunt. Fluuialis Cancer tritus, & cataplaſmatus, cuſpides & ſcolopas extrahit.

## Caron.

Cari ſemen calefacit & exiccat in tertio ferè ordine. Flatus extingit, & urinas cit. Eadem præſtat & tota planta.

## Carpeſium.

Carpeſium, aromaticum eſt, & tenuium partium, abſtergit igitur uiſcerum obſtructiones, & urinas cit. Renes quoq; calculis prægrauatos expurgat.

## Caria, Nuces.

Arbor

www.libtool.com.cn



*Arbor tum in folijs, tum in germinibus adſtrictionem quandam poſsidet, maxime in putamine. Succus itaq; eorum decoctus in melle, ſtomachicum fit pharmacum. Cortex partium tenuium eſt, & ſiccat, uerum ſine mordicatione. Porrò ipſius id quod edendo eſt, oleoſum eſt, & facile exprimitur. Oleum ipſum ſubtilium eſt partium, & digerens. Tumores & putredines propter uetuſtatem abſtergentem habent facultatem eorũ, quæ ſunt circa cutem.*

## Nux Pontica, Auellana.

*Nux Pontica, quam nucem paruam uocant, Græce* λεπτοκάρυον*, naturæ eſt magis refrigerantis & auſteræ. Cætera magnæ nuci ſimilis.*

## Caryophyllon.

*Caryophyllon, nucifoliũ, etiamſi hanc non habet naturam, quã nomen prætendit. Sed ex India flores arboris cuiuſdã feſtucacei ſunt et nigri, lõgitudine pollicari, acres, odorati, & ſubamari, calidi et ſicci quodamodo in 3. gradu, optimũ & multis pharmacis cõmodiſsimũ.*

## Caſſamon.

*Caſſamon, quidam ferunt eſſe fructum Balſami, de quo ſupra in Balſamo dictum eſt.*

## Caſſia.

*Caſsia calefacit & ſiccat in tertio quodãmodo ordine, eſtq; ſatis partiũ tenuium, acris, & adſtringens mediocriter. Quamobrẽ incidit, ſimulq; diſtrahit, ad hæc robur addit inſtrumẽtis. Idonea etiã ſuppreſsis Mẽſibus*

Caucalis

www.libtool.com.cn


## Caucalis.

Caucalis, alij Daucum agreſtem uocant, calefacit, quemadmodũ & Daucus· Exiccat quoq;, & urinam ducit· Et inuria ad repoſitionem conditur·

## Cenchros.

Milium refrigerat quidem in primo ordine, exiccat uero in ſecundo, paulułum etiam habet tenuitatis. Deforis igitur in ſacculis calefactum, & cataplaſmatum, exiccat·

## Cedrus.

Cedrus, quædam eſt fruticoſa, ſimilis Iunipero. Et arbor quidem calefacit & ſiccat in tertio ordine· Cæterum quod ex ea eſt oleũ, quod Græce uocant κεδρέαν quartum attingit ordinem, manifeſte tenuium partiũ· Molles itaq; carnes, promptiter, citraq́; dolorem putre facit, duras uero, & mortuorum, ſiccat, & à putredine tuetur· Pediculos, & pulices, & aſcarides, & qui in auribus enaſcũtur uermes, occidit, & alia innumera facit·

## Centaureum.

Centarei maioris radix, acris eſt, & calefacit, cum terroſa quadam adſtringentia· Menſes itaq; prouocat, & fœtum mortuum enecat & euellit· Vulnera conglutinat, & ſanguinem eijcientibus prodeſt· Ea quoq; iuuat, quæ ſunt circa thoracem·

## Centaureum minus.

Minoris Centaurei radix planè inefficax, inofficioſaq;· At rami ualenter, & ſine mordicatione calefaciũt,

ad omnia

www.libtool.com.cn


*ad omnia utileis, ad quæ memoratū maius Centarcum. Decoctum, herbæ Iſchiadicis iniectum, biloſa quædam educit, & quidem cruenta ubi eiecerit, magis iuuat.*

## Cornu Capræ, & Cornu Cerui.

*Ex Cornibus Capræ & Cerui, dentifricium fit, leuigandis dentibus utile. Gingiuas etiam mollicie fluidas contrahunt, Cerui etiam cornu cum uino tritum, catapłaſmatisq́; inſtar illitum, commotos dentes figit. Porrô ab uſtione elotum, dyſſenteriam, cœliacam paßionē, ſanguinis ſputa, & morbum aquaticum curat, pondere cochleariorum duorum, miſcetur & ophthalmicis medicamentis.*

## Cornu Tauri.

*Tauri cornu cū aqua potū, Hæmorrhagias cōpeſcit.*

## Ceraſia.

*Ceraſia, quædam dulcia habentur, quædam auſtera. Dulcia citißime dilabuntur. Auſtera ſtomacho utiliora ſunt, pituitoſis & excrementoſis ſtomachis conferunt, propter incidendi uim quam habent.*

## Gummi Ceraſorum.

*Ex Ceraſo arbore, quod deſtillat gummi, aſperas arterias lenit. Vtile etiam calculoſis in uino potum.*

## Ceratonia.

*Ceratonia, exiccantis & adſtringentis eſt facultatis ſicut & fructus eius, quæ Ceratia uocant. Nonnihil etiā dulcedinis continens.*

## Capita Menidum.

Capita

www.libtool.com.cn


*Capita Mœnidum, ſale inueteratarū uſta, ſiccæ ſunt. potentiæ, non admodum acris. Sedis rimas, quas uocāt* ῥάγαδας *& Columellam diu induratam, ſanant.*

## Capita Smaridum.

*Smaradis caput uſtum, alopecias ſanat, cum adipe urſino.*

## Caput Muris.

*Caput muris uſtum, eadem præſtat, quæ ſmaridum capita, cum melle.*

## Caput Milui.

*Milui capitulum, mutilum, uel ſiccum, ſine plumis, potum cum aqua, pondere quantū tribus digitulis comprehendas, eis qui ex pedum dolore laborant, indolentiam pollicetur.*

## Caput Lacertæ.

*Caput Lacertæ, ferunt ſcolopas, extrahere & myrmecias, & acrochordonas, & clauos.*

## Cecis, Galla.

*Galla, ea quæ Omphacitis nuncupatur, admodū acerbum eſt medicamen, unde deſiccat, & repercutit fluxiones. Ad hæc conſtringit, contrahitq́; partes laxas & languidas, omnibusq́; fluxionū affectibus ſtrenue reſiſtit. Eſto uero tertij in deſiccando, ſecundiq́; in refrigerando ordinis. Altera autem Galla, flaua illa & magna, deſiccat quidem & ipſa, ſed minus priori, tanto, quanto plus acerbitatis relinquitur. Sedis phlegmonas, & procidentias iuuat. Vſtæ autem, & in aceto extinctæ*

www.libtool.com.cn


*tinctæ, ſanguinis retinendi facultatem acquirunt.*

## Cepea.

*Cepea, Portulacæ ſimilis eſt. Bibuntur in uino folia eius utiliter contra ueſicæ ſcabiem, & urinæ ſtillicidia. Prodeſtq; hijs præcipue, addito aſparagi, quem myrz acanthum uocant, radicum decocto. Pota, ſtranguriæ opilationes aperit.*

## Cæra.

*Cæra, temperata, aliorum pharmacorum materia eſt, ipſa tamen per ſe ex eorum genere eſt, quæ ſenſim abſtergunt. Habet & paulum quiddam digerentis, calidæq; potentiæ.*

## Buccina.

*Buccinarum teſta exuſta, uehementer ſiccæ potentiæ redditur, idq; ſine morſu, hulceribusq; malignis, quæ cacoethæ uocantur, inſpergitur. Inſuper cum aceto, uel uino, aut certe cum oxymelle ad hulcera putreſcentia cõuenit. Adhuc uiuentes, ſi in oleo decoquantur, oleo ſubinde auribus inſtillato, ὠταλγίας auferunt, id eſt, aurium dolores.*

## Cici.

*Recini fructus, quemadmodum expurgat, detergit, ac digerit. Sic quoq; folium, ſed undequaq; debilius, ut in oleo dictum eſt.*

## Cinnabaris.

*Cinnabaris, acris mediocriter eſt potentiæ: Habet & quiddam quo adſtringit.*

www.libtool.com.cn



## Cinnamomum.

Cinnamomum, omnium maxime partium eſt tenuium, non ob hoc tamen ſumme calidum. Nihil autẽ æque deſiccat eorum, quæ pari ſunt excalfaciendi facultate, propter tenuitatem ſcilicet eſſentiæ. At Cinnamomis eſt uelut imbecillum Cinnamomum. Nõnulli ſpeudocinnamomum appellant.

## Circea.

Circeæ radix, calida eſt, & boni odoris, quæ cum uino pota, ſecundas purgat. Semen autẽ in ſorbitione exhibitum, ad lactis generationem conducit.

## Ciſſeris Pumex.

Pumex, abſtergentis potentiæ eſt, & maxime dentium, idq́; adeo propter aſperitatem quam habet. Vnde ad pharmaca adſciſcitur hulcerum incarnatiua, & ad ea, quæ cuticulam extergunt; atq; mundificant. Vſtus tamen, partiũ redditur magis tenuium, acriorq́;. Ablutus ueluti mordicantis naturæ reponitur.

## Ciſtos.

Ciſtos, uel Ciſſaros, paruus frutex eſt, acerbeſcens, ſed tepida quadam frigiditate. Cæterum, folia eius & ramuli in tantum deſiccant, ut uulnera etiã adglutinent. Flores ſicciores in ſecundo quodammodo ordine habentur, unde dyſſenterias, & alias fluxiones ſanant poti. Deforis cataplaſmatis ritu illita, hulcerum putredinoſa iuuat.

## Ciſſos, Hedera.

Ciſtus

*Ciſſos, ex contrarijs conſtat potentijs, ſtringit enim & refrigerat atq; cum quadam acrimonia calefacit, eſſentiæ aquoſæ particeps, uiridis tepida. Viridia ergo folia incocta uino, uulnera conglutinant. Ambuſta igne, & ſpleneticos iuuant. Succus medicamentum eſt ἔῤῥινον, id eſt, quod naribus infuſum caput purgat, tum ue tuſtas auriũ fluxiones ſanat. Lachryma eius longe acutior, lendes interimit & pilis nudat.*

## Citrium.

*Citrium, quod & medicum malum uocant, quod in medio eius acetoſum, ἢ ἄποιον, in quo reſidet ſemen, tertij eſt refrigerantium & ſiccantium ordinis. Cortex ſiccat quidem, in ſecunda diſtantia, refrigerat uero nõ adeo, alioqui acris eſt. Caro denſioris ſucci, humida eſt, refrigerans, ſemen exedit, & exiccat in ſecundo ordine. Et folia arboris ſiccæ, diſcutientis ſunt facultatis.*

## Chichorium.

*Chichorium, uel picris, agreſtis Seris eſt, refrigerat & deſiccat in ſecũdo ordine. Habet quiddam etiam adſtringens. Quamobrem Hepaticis confert, & dyſſentericis.*

## Clematitis.

*Clematitis, quæ ab quibuſdam uocatur, Daphnoides ab alijs Myrſinoides, à nonnullis Polygonoides, uiticulam habet prælongam, uelut oloſchoeni, craſſa, folio lauri ſimili, eſt ſiccæ potẽtiæ. Diarrhæas igitur & dyſſen*

www.libtool.com.cn


*terias & dentium dolores ſedat, & uenenatorum morſibus auxiliatur.*

## Clematitis altera.

*Clematitis altera, circumuoluit ſe, ſcanditq; arbores ut ſmilax, acutæ & causticæ facultatis. Tritum ſemen eius in aqua potū, per inferna bilem & pituitam trahit. Pellunt lepras folia emplaſtri modo impoſita.*

## Clinopodion.

*Clinopodion, calidæ eſt potentiæ, & exiccantis, ſed nondum adurendi, in tertio fortaßis ordine.*

## Cnecus.

*Cneci ſemine, duntaxat ad deiectiones utimur. Si cui deforis eo uti libuerit, in tertio erit calefacientiū ordine.*

## Conchylia.

*Conchylia, buccinis conſimilem facultatem habent.*

## Venter mergi.

*Ventrem mergi, ſiue recens coctū, ſiue ſiccatū εὐστόμαχον eſſe aiūt, ſi cōmedas, ſicut ſane, quod de īterna tunica gallinarū ſiccata atq; pota, tradūt. Quæ tamen ambo Galenus pertentans, falſa eſſe deprehendit. Alioqui tamen palumbi auis uentrem modice potum, per lotium lapillos exigere, Dioſcorides eſt autor.*

## Venter Muſtellæ.

*Muſtellæ uenter in potu exhibitus, Alexipharmacum eſſe creditur, eorum qui à uenenalis beſtijs ſunt demorſi.*

www.libtool.com.cn


## Coccum Gnidion.

*Coccum Gnidion, ſemen eſt Thymeleæ non Chamelex, ut quidam falſò exiſtimauerunt. Acutæ potẽtiæ & adurentis. Purgat per inferna cum aqua potum.*

## Coccus Baphicus, granum tinctorium.

*Coccus Baphicus, ſine mordicatione exiccat. Proinde ad ingentia uulnera congruit, & ad neruorũ uulcerationes cum aceto uel oxymelli e tritus.*

## Coccimelea, Prunus.

*Coccimeleæ ſemen, uentrem ſubducit, recens quidem plus, ſiccum minus. Cæterum ex ea decoctum atq; ſubinde gargarizatũ, gurgulionis uel columellæ phlegmonas ſanat. Arboris gummi incedentis & partium tenuium potentiæ eſt, & ſunt qui ferant potum cũ uino calculos rodere, ſicuti cum aceto puerorũ lichenas.*

## Syluestis coccimelea.

*Syluestris coccymeleæ fructus, uehementer adſtringit, adeoq; & uentrem retinet. Nominatur autem hæc plauta in Aſia Prumnum. Hortenſia coccimelea, ſunt ſimilia his quæ Damaſcena uocat Galenus.*

## Colla, Gluten.

*Gluten, ex ſimilagine aut polline, emplaſticæ atque concoctoriæ eſt facultatis.*

## Colocynthæ, Cucurbita.

*Cucurbita, humectæ & refrigerãtis eſt ſubſtantiæ, idq; in ſecundo ordine. Quare tota impacta calidos ardores refrigerat.*

www.libtool.com.cn



## Colocynthis.

*Colocynthis, Catharticæ eſt potentiæ uehemēter, uiridis ipſius ſuccus intritus, iſchiadibus prodeſt.*

## Comarus, Arbutus.

*Arbutus, arbor ipſa qualitate acerba, una cū fructu eſt. Memecylum quidam appellant, ſtomachio infeſtus eſt, & capitis dolores excitat.*

## Gummi.

*Gummi, areſacientis eſt, & impactilis potentiæ, propterea aſperitatibus medetur.*

## Conia.

*Lixiuium, ſic quod uelut ablutio eſt cineris nominatur, plus omnibus uim habet abſtergendi, atq; areſaciendi. Inprimis uero quæ ex ficulneorum lignorū eſt cinere, uel etiam ex tithymallis, & ferè quæ dicuntur putridæ potentiæ. Quod ſi quis calcis quoq; adhibuerit cinerem, luxiuium faciet cauſticum atq; uehementiſſimū, & quod clyſticis miſcetur medicamentis, acerrimum tamen omnium quod ex ſola calce fit.*

## Coniza, Pulicaria.

*Pulicariæ ambæ, ſiccant & calefaciunt in tertiò gradu. Quo fit ut oleū in quo decoctæ fuerint, rigores qui per circuitum redeunt, ſanent. Flores quoq; earum adſimilis ſunt facultatis, quorum decoctum, tum Menſes cit, tum embrya deijcit. Porrò quæ in humidis locis prouenit*

www.libtool.com.cn



*uenit pulicaria, ut prioribus minus bene olet, ita poten-tiæ eſt imbecillioris.*

## Stercus.

*Stercora in uniuerſum quidẽ omnia calida ſunt, & maiorem inmodũ ſiccæ & degerentis potentiæ, immutanturq́; ſecundum excernentis animantis temperamentum & diætam.*

## Stercus caninum.

*Stercus canum, eorum maxime qui oßibus ueſcuntur, ſiccatum, dyſſenterias ſanat, nimirũ cum lacte ſchiſto potum, id eſt, in quo ſegregatum eſt ſerum à caſeo. Præterea pharmacis hulcera uetuſta ſiccantibus, commode miſcetur. Anginis etiam & pariſthmijs cum melle intritum, admodum præſenti remedio inungitur.*

## Stercus puerorum.

*Nec diuerſa facit puerorũ ſtercus, priuato uictu ad hæc nutritorum.*

## Stercus luporum.

*Stercus luporum, illud quod candidius eſt, atque in fruticibus reperitur, terminoſos magnifice iuuat, non potum modo, uerumetiam cataplaſmate impoſitũ. Appendi autem hoc uolunt è lana, ouis uidelicet à lupo deuoratæ, uel ex pellis ceruinæ loro.*

## Stercus caprarum.

*Caprarũ ſtercus, acris ſimul & digerentis potentiæ, quoslibet induratos ſcirrorũ tumores digerit, cataplaſmate illitũ, uſtum abſtergentius, partiũq́; magis tenuium ſit.*

www.libtool.com.cn



## Stercus Boum.

*Stercus boum, quiddam habet attractoriæ faculta‐tis. Veſparum itaq; atq; apum morſus ſanat. In morbo intercutaneo, ſi quis totum corpus bubulo ſtercore in ſole oblinat, ſtrennue auxiliatur.*

## Stercus Ouium.

*Ouium ſtercus cum aceto, myrmecias, & acrochor danas, & furunculos, ſiue clauos ſanat.*

## Stercus columbarum.

*Stercus ſylueſtrium Columbarum, acrimonia ſter‐coribus alijs præpollens, cum ſemine Naſturcij adhibi tum, rubificat.*

## Stercus domeſticarum auium.

*Domeſticarum auium ſtercus, cum oximelle, aceto, uel mulſo potum, ſuffocantes fungos euomere facit, & alexi pharmacum eſt, & colicis quidam etiam potan‐dum exhibent.*

## Stercus Ciconiarum.

*Ciconiarum ſtercus orthopnoicis mederi aiunt.*

## Stercus Murium.

*Stercus murinum, quoniam plurimum abſtergit, alo petias curat, & puerorum ſedi appoſitum, ad excretio nem proritat.*

## Stercus Sturni.

*Sturnorum ſtercus, ſi quando oryzan comederunt, abſtergentis potentiæ ſit, adeo ut Ephelides emaculet.*

## Stercus Crocodylorum terreſtrium,

Terreſtrium

www.libtool.com.cn


Terreſtrium Crocodylorum ſtercus, impetigines abſtergit, eo modo quo Nili crocodylorum excrementum, Leucomata extenuare creditur.

## Corallium.

Creſcit arborum modo Corallium, & in duriciem lapidis duratur in mari, colore rubeum, lapidi ſimili. Facultatem habet exiccatoriam, & adſtringentem mediocriter, ob eamq; rem, hæmoptoicis confert & dyſſentericis.

## Coris.

κόρεις animalia. Scribunt quidam quomodo cum aceto pota, hirundines eijciant.

## Coris herba

Coris herba, quæ & Hypericon, acris odorataq;, cuius ſemen bibitũ, Menſes & urinam trahit. Succurrit & phalangiorum morſibus, & in ſcapulas rigentibus, cum oleo inungitur.

## Corianum uel Coriandrum.

Corianum uel Corion, ex cõtrarijs cõſtat potentijs, tenuiũ quidẽ partium, cũ terreſtri amaritudine, aquoſæ etiam humiditatis tepidæ, cũ exili quadã aſtrictione. Vnde phlegmonibus & eryſipelatis nõ admodũ feruentibus congruit. Delicatiores quoq; tumores digerit, cum aliquo quod commode illi applicatur. Semen lumbricos pellit, paullum cum paſſo ſumptum. Maiori tamen copia ſumptum, mentem non ſine periculo tentat.

## Alauda.

Corydos uel Corydalos, auis cocta, ſimplici in iu-

www.libtool.com.cn


ſculo craßioris inteſtini, quod κόλον Græci dicunt, doloribus medetur. Oportet tamen continuo, & ſepicule de eo brodio edere.

## Coronopus.

Coronopodis radix, & ipſa commeſta, torminoſis opem ferre creditur.

## Coſtus.

Coſtus, paucula admodū eſt amaritudinis, ſed acutæ & calidæ facultatis uehemēter. Itaq́; in quibus calefacere partem quamuis, aut ex alto in ſuperficiem trahere eſt opus, ad coſtum confugitur. Eadem de cauſa urinas Menſesq́; prouocat, & latos lumbricos occidit. Habet quiddam etiam flatuoſum. Propter quod Venerem excitat, cum uino mulſoq́; potum. Iſchiadicis præterea & reſolutis, & his qui per circuitum redeunt rigoribus, cum oleo intritum, opportune inungitur.

## Cotyledon, Vmbilicus Veneris.

Cotyledon, refrigerat & repercutit, abſtergitq́; & digerit, putantur folia cum radice manducata, calculos confringere, & urinam cire.

## Cochliæ.

Cochliæ uſtæ, ſiccæ plurimum ſunt potentiæ, calidæ uero minus. Proſunt dyſenterijs in quibus hulcera nondum computreſcere cœperunt, ſi in hunc modum miſcueris, uidelicet, ut Cochlearum ſint partes quatuor,

piperis

www.libtool.com.cn


piperis albi una, & gallarum partes duæ. Porrò Cochliæ quæ uſtionem non ſunt expertæ, tritæ, & impoſitæ uentri, aqua intercutem laborantium, & in arthriticis articulorũ tumoribus, quoad ſponte deciderunt, congruunt. Nam funditus, quicquid fuerit humoris, ualide exiccant.

## Cornus.

Corni arboris fructus adſtringit, & eſui aptus eſt. Itaq; ualenter uentrem reſtringit. Folia quoq; & germina, propter acerbitatem impenſius deſiccãt, Adeoq; & uulnera glutinare ualeãt, potiſsimum durorum corporum.

## Crambe, Braſſica.

Crambe eſculenta, deſiccandi uim habet, cum eſa, tum foris impoſita, non tamen admodum acrem. Proinde hulcera glutinat maligna, & ægre ſolubiles tumores ſanat. Habet quiddam etiam in ſe abſterſorium, quo lepras curat. Semen eius potũ, lumbricos latas interimit, & maxime Braſsicæ Aegytiæ. Porrò caulium combuſtorum cinis, cauſticam, ſiue aduretem uim habet. Qua ratione, ſi cum adipe commiſceatur, laterum doloribus inueteratis medetur.

## Braſſica agreſtis.

Braſsica agreſtis, ad omnia prædicta, hortenſi, ſiue ſatiua, ualentior eſt. Quamobrem neq; intra corpus, citra noxam ſumitur.

## Braſſica marina.

www.libtool.com.cn


*Marina Braſsica, quia ſubſalſa, atq; ſubamara eſt, uentrem deijcit.*

## Crataeogonos.

*Crataeogoni herbae ſemen, & acre guſtantibus eſt, & frigidum, ſimile Milio.*

## Crethmon.

*Crethmon, ſalſum quodammodo eſt, cum paucula amaritudine, quamobrem uis eius eſt exiccatoria, & abſterſoria.*

## Hordeum.

*Hordeum, refrigerat & ſiccat in primo ordine, habet etiam pauxillum abſterſionis, & plus exiccat, quàm farina fabarum, minus tamen inflat. Caeterum, Alphiton, hoc eſt, polenta, multo plus hordeo deſiccat. Sed Ptiſana humectat & abſtergit magis.*

## Crimnon.

*Crimnon, craſſae eſſentiae, ſic adpellata, tum ex tritico, tum ex zea farina, magis nutrit quàm polenta, minus concoquitur Crimnon, quod uocatur* πολπός.

## Lilium.

*Lilij flos, temperaturam miſticam obtinet, partim ex tenui, partim ex terrena ſubſtantia, & quadam aquoſitate temperata conſiſtit. Itaq; quod ex eo componitur oleum, digerendi & emolliendi potentiae efficitur, uuluae phlegmonibus accommodum. Radix & folia ſiccant & abſtergunt, & digerunt, ſed temperate, quare ad ambuſta competunt. Succus cum oxymelite*

www.libtool.com.cn



*melite, neruorum inciſioni auxiliatur.*

## Crocodylion.

*Crocodylij, & ſemen, & ſuccus, ſiccæ & digerentis ſunt potentiæ, urinam ſimul & Menſes cient. Radix pectoris excreationibus conuenit, & per nares ſanguinem extrahit.*

## Crocus.

*Crocus, ſecundarij quidem ordinis calefacientium eſt, primi uero arefacientium, perinde ſtringit, & concoquit.*

## Cromnion.

*Cepe, quarto eſt calefacientiũ ordine, eſſentia craſſarum partium, unde hæmorrhoidas appoſita interrumpit. Quadamtenus etiam abſtergit, quo ſit, ut cum aceto alphos exterat, tum alopecias. Alcionio citius pilos reſtituit. Porrô ſuccus ſuffuſis, aut præ craßitudine aciem oculorum obtuſam habentibus, auxiliatur.*

## Cyamus, Faba.

*Faba, non multum à temperamento diſtat, tam in exiccando, quàm in refrigerando. Caro quoq; eius potentiæ eſt abſtergentis. Excreationibus igitur, & ſputis ex pulmone, & thorace, idoneum remedium. Putamen nonnihil adſtringit. Tota faba cum oxycrato decocta, cœliacis medetur, & dyſſentericis, cataplaſmate illita, phlegmonas ſanat, & tubera. In uberibus quoq; lac extinguit.*

## Cyanos.

Cyanus

www.libtool.com.cn


*Cyanus, acri facultate eſt, detrahendi quoq; & dige rendi, potentiori quàm Cinnabari. Ineſt quoq; ei non nulla abſtrictio.*

## Cyclaminos.

*Cyclaminos, uariæ poteſtatis eſt, Etenim abſterget, & ſecat, & interrumpit, & emollit, & diſtrahit. Succus itaq; eius Hæmorrhoidas aperit, appoſitus, & duricies diſcutit, unà cum alijs. Præterea ſuffuſis cũ melle conuenit, & per nares expurgat, & illito uentriculo, ipſa uentrem ſubducit, & embrya necat. Tota autẽ radix ſucco quidẽ eſt imbecillior, alioqui tamen & ipſa uehemens. Cum melicrato pota * interanea expurgat. Abſtergit & quæ cuti uitia adhærent.*

## Cyclaminos altera.

*Cyclaminos altera, quam Ciſſanthemon uocant, radicem inutilem habet, ſed fructum admodum efficacem, nec diuerſa à priori operatur.*

## Cuminum.

*Cuminum, calefaciendi eſt potentiæ, urinas cit, & flatus extinguit.*

## Cinosbatus, Sentis Canis.

*Cinosbati fructus, non ſigniter adſtrictorius eſt, folia uero mediocriter. Cauendum ab eo, quod in fructu eius lanæ ſpeciem habet, ceu arteriam uitians.*

## Cypariſſus.

*Caparyßi piiulæ, & germina, ſiccæ ſunt potẽtiæ, nullo tamen inſigni calore. Vnde magnorum uulnerum*

in duris

*in duris corporibus ſunt glutinatoria. In humentibus quoq; putredinibus, ex alto humiditates innoxie depaſcitur, & perinde etiam ἐντεροκοιλικούς iuuant.*

## Cyperus, Iuncus quadratus.

*Cyperus, calefacit & ſiccat ſine mordicatione, quare humida hulcera mirabiliter ad cicatricem perducit. Hulceribus item oris congruit. Habet quandam etiam incidendi uim, qua calculoſis medetur, & urinas & Menſes cit.*

## Cypros.

*Cypri folia, ſummaq; germina, mixtæ ſunt potentiæ, adeo, ut & digerant, ſed ſine mordicatione deſiccantes, Itaq; decocto eorum aduerſum ambuſta utuntur, et aduerſum igneas phlegmonas, & aphthas, commanſa. Spleneticis porrò facultatibus commode miſcentur.*

## Cytiſum.

*Cytiſi folia, ſenſim detrahendi uim habent, & tepidæ ſunt potentiæ, quemadmodum & Maluæ.*

## Comon, Cicuta.

*Cicuta, quòd extremæ refrigerantis ſit facultatis, nemini non eſt compertum.*

## Conos.

*Coni cortex, & folia, potentia proxima ſunt pino, acriora tamen & efficaciora. Fructum eius Strobilon uocant, qui, ſi uiridus ſit, quiddam habet amarum, cum acerba humiditate, propter quod ex thorace laborantibus idoneus eſt. Eſt autem eſui aptus, ſi prius in aqua*

maceretur

www.libtool.com.cn


maceretur, ut acuitatem amittat, qua coctura ſic temperatur, ut omnium minime mordeat, emplaſticumq́; redditur, & aſperitatem omnem demulceat.

## DE HIS QVAE INCIPIVNT ab litera Λ.

### Lagopos.

LAgopus, ſiccatoriæ facultatis eſt, & uentris fluxiones arefacit.

### Ladanon.

Ladanum ex Ciſto Cyprio frutice, quem Ladona uocant, colligitur. Siquidem capræ paſcentes, barbis ac fœmoribus, quod pingue ac lentori ſimile in eo eſt, ſecum auferunt, idq́; collectum, Ladanum eſt, pharmacum eſt, calidum ferè in ſecundo ordine, partium tenuium, ex quo uires poßidet mollificandi moderate, digerendi, & concoquendi, propter quod uuluæ paßionibus peculiariter accommodatur. Habet quiddam etiam adſtringens, qua fluentes capillos retinet atq; compeſcit.

### Lathyris.

Lathyris ſpecies Tithymalli. Sunt qui ſuccum eius æqualiter cum tithymallo uelint purgare. Nam de ſemine compertum eſt, quod maximam uim purgatricem obtinet.

### Lapſana.

Lapſana, commeſta quidem, malum ſuccum gignit, ac pigmentata abſtergit ac detrahit.

www.libtool.com.cn


## Lapathon.

*Lapathum, digerentis mediocriter eſt potentiæ.*

## Oxilapathon.

*Oxilapathon, uires expellendi habet. Semen, propter adſtrictionem quam habet, diarrhoeas & dyſſenterias ſanat, obſeruatumq́; eſt contrarijs facultatibus cõſtare. Nam folia quidem exturbant, & uentrem mouẽt commanſa. Semen potum, fluentem etiam retinet.*

## Limonium.

*Limonij ſuccum ueluti auſterum cum uino exhibent cœliacis, & dyſſentericis, & hæmoptoicis. Iuuat & muliebre profluuium, oxybaphi uidelicet menſura.*

## Lichen.

*Lichen, qui uelut muſtus quidam, petris adnaſcitur, abſtergentis ſimul & mediocriter refrigerãtis & exiccantis eſt potentiæ. Lichenas igitur ſanat, & inflammationes arcet, quemadmodum author eſt Dioſcorides. Et hæmorragias quoq; ſiſtit.*

## Lichenes equorum.

*Equorum Lichenes, cum aceto trituratos, ferunt imprimis Epilepſias, deinde q͞ o ꝙ à beſtijs morſos, probe curare.*

## Leontopetalon.

*Leontopetali radix, & ſiccæ in tertio ordine, & diſtrahentis eſt potentiæ.*

Lepidium

www.libtool.com.cn



## Lepidium.

Lepidiũ,quod & Biriada uocant,ex tertio eſt calefacientium ordine,facultate Naſturcio ſimile, quanquam minus eo exiccet.

## Lepis,Squama æris uel ferri.

Omnis ſquama ualide deſiccat, & ſtringit, ſtrenue etiam mordax.

## Squama æris.

Squama æris,uehementius ſiccat, partiumq; eſt magis tenuium. Quiddam etiam habens æruginis,maxime quæ ex Cypriorũ eſt clauis. Vnde & Heletim eam uocãt

## Squama Ferri.

Squama ferri, plus habet adſtrictionis, & priore maiorem ſtomomatis. Quare hulcera, quæ cacoethe uocantur, melius mundificat. Carnem quoq; potentius liquat,quàm quælibet ſquama æris.

## Leucacanthon.

Leucacanthon,quam alij Poligonaton, alij Iſchiada uocant. Huius radix incidit & arefacit in tertia diſtantia,excalfacit uero in prima.

## Leucas.

Leucas, calefacit quidem & exiccat in tertio ordine,ſed prædominatur in ea acrimonia.

## Leucoion.

Leucoij,frutex in totum, abſtergendæ potentiæ eſt, & tenuium partium. Id tamen impenſius faciunt flores, & horum aridi,uiridibus impenſius. Proinde men

ſtrua

www.libtool.com.cn


ſtruacit, & fœtum abſumit atq; proculcat. Quod ſi quis immixta ſubinde aqua, uires eius hæbetauerit, inflammationibus remedium præſentaneum fuerit. Ante omnia uero muliebribus locorum uicijs. Radices proximas, atq; æquales uires poßident, etiamſi partiũ magis craßiorum, & plus ſubſtantiæ terrenæ participẽt, ex quo induratas phlegmonas medicantur.

## Leuce.

Leuce arbor, ex aqua tepida & terrena ſubſtantia conſiſtit, abſtergentis potentiæ particeps.

## Libanotides.

Libanotides tres ſunt, una ſine fructu, fructiferæ duæ, omnes abſtergentes & diſcutientes, & molliendi potentiæ. Quorum ſuccus cum melle miſtus obtuſam oculorum aciem, ab humorum craßitudine emendat. Porrò eius, quæ ad coronas eſt utilis, decoctum, regio morbo laborantes adiuuat.

## Libanotus.

Libanotus, calefacit quidem in ſecundo ordine, exiccat autem in primo. Tametſi aliquantulum quoq; ſub ſtringat. Alioqui cortex adſtringit manifeſtario, & are facit in ſecunda diſtantia, multo craßiorũ partium quã thus ipſum etiamſi minus acrimoniæ habeat. Itaq; hæmoptoicos adiuuat, nõ ſolum intrinſecus appoſitus, ſed etiam aſſumptus ad corporis interiora. Germen eius calefacit & ſiccat in tertio ordine. Habet uero etiã abſterſoriũ quiddam. Itaq; eo nomine expurgat & implet, quæ in oculis ſunt hulcera.

www.libtool.com.cn



## Lignys fuligo.

Fuligo, quarundam ardentium ſpecierum quaſi ciſnis quidam eſt, ueluti libanoti, myrrhæ, terminthi, ſtyracis, picis liquidæ, & cedri, temperamẽto ſicca & terroſa, & partium tenuium. Sed quæ ſpeciatim in ea differentiæ ſunt, eæ pro uſta materia eueniũt. Vſurpant aũt ea potiſsimum ad ophthalmicas facultates, quas uocant, καλλιβλεφάρους. Cæterum libonati fuligo præ alijs omnibus cõmodior eſt, ueluti mitior, ſiccat fortior quæ eſt ex liquida pice, & picea. Quare ad defluuia ciliorũ, & ad angulos oculorum humentes, eroſosq; utuntur.

## Liguſticum.

Liguſtici, & radix & ſemen excalefaciẽtibus eſt, intantum, ut Menſes moueat. Eſt autem ſufflationis expers.

## Litargyros.

Litargyros medij inter metallica eſt ordinis. Quapropter tanquam materia eo utimur perſæpe alijs miſcentes facultatibus. Siccat autem mediocriter abſtergitq; & ſtringit. Inde ad femorum intertrigenes utilis eſt medela.

## Lapides.

Lapides uniuerſi quidẽ exiccant, perinde ut terræ.

## Hæmatites.

Hematites ſtringit & ſiccat uehementer. Quare aſperitatibus oculorum congruit. Hijs quidem qui ſine phlegmone ſunt, cum aqua, cum phlegmone uero cum

ouo,

www.libtool.com.cn


*ouo, opitulatur & ſanguinē expuentibus. Hulcerumq́; carnes & ſuperexcreſcentias reprimit.*

Schiſtos.

*Hæmatiti lapidi ſimilem quidem, ſed debiliorem uim habet Schiſtus nomine dictus.*

Galactites.

*Galactites, eadem poteſt quæ Schiſtus.*

Melititis.

*Melititis, quiddam habet caliditatis.*

Myeroxos, uel Moroxos.

*Myeroxus, quem & leucographida uocant, quanto memoratis mollior eſt, magisq́; qualitatis expers, eo temperatior & doloris magis expers eſt. Quapropter cerato ipſum miſcentes ad cicatrices perducendas hulcerum, in mollibus eo utuntur corporibus.*

Iaſpis.

*Subuiridis Iaſpis, uehementioris potentiæ cum ſit, cicatrices & pterygia attenuat.*

Iaſpis Virens.

*Iaſpis totaliter uirens, ſtomachum corroborat, tam appoſitus, quàm in digitulo portatus.*

Lapis Iudaicus.

*Lapis Iudaicus, quē ſic appellitant, in renibus lapides atterit. Quare & τηκόλιθον neoterici cū appellauerunt.*

Pyritis.

*Pyrites, ex numero eorū, qui ualide digerūt, tumores & ſanguinis grumos. Qui tamen ſi forte in parato non habeatur, pro eo Mylite utuntur.*

www.libtool.com.cn



## Phrygius.

Phrygius lapis, cum hoc quod ualde areſacit, quidam habet etiã acerbitatis & morſus· Vnde & expellit & diſtrahit, opthalmicisq; miſcetur facultatibus·

## Ageratos.

Ageratus lapis, adſtringentis & diſcutiendi potentiæ, prodeſt cum primis gurgilionibus & gutturi inflammato·

## Lapis Aſius.

Aſiæ, petræ flos, partium tenuium eſt in tantum, ut carnes graciles liqueſaciat & ſalſas reddat, citra ualidum morſum·

## Cagates.

Cagates, lapis uehementer ſiccæ potentiæ, inflationibus conducit, maxime chronicis·

## Magnes.

Magnites, qui & Hæraclia æqualem hæmatiti facultatem habet.

## Arabicus.

Arabicus lapis, Elephanti ſimilis deſiccantis & abſtergentis potentiæ eſt·

## Alabaſtrites.

Alabaſtriten, combuſtum quidam in potione propinant ſtomachitis.

## Smiris,

Smiris, abſtergentem habet facultatem, decoctus purificat·

Lapides

www.libtool.com.cn


## Lapides qui in Spongijs.

*Qui in ſpongijs inueniuntur lapides, calculos in renibus conterunt.*

## Lapides in Argæo Capadociæ.

*Gignuntur & in Argeo Capadociæ monte lapides, ſpongioſis potentia adſimiles.*

## Ophites.

*Ophites, uocatus lapis, qui adalligatus, à uipera morſis auxiliatur.*

## Oſtracites & Geodes.

*Oſtraciten & Geoden ſiccæ potentiæ eſſe ferunt, tã intenſe, ut ardentes tumores perſanet.*

## Naxias.

*Naxæ, cotis contritionem, refrigeratoriam habere potentiam ferunt. Ideo creſcentibus uirginum mammis & puerorum teſticulis utilem eſſe.*

## De olearia Cotæ.

*Quod uero ex olearia cote detritum fuerit, nimirũ propter abſtergentem facultatem quam habet, alopetias ſanat.*

## Hieracites, & Indicus.

*Hieracites & Indicus, Hæmorrhoidas areſaciunt.*

## Saphyrus.

*Creditur ſaphyrus lapis ſcorpionum ictibus potus aduerſari.*

## Aphroſelinus.

*Aphroſelinus lapis comitiali morbo uexatos liberare putatur.*

## Armeniacus.

www.libtool.com.cn



*Armeniacus lapis per inferna uentrem purgat, ſed cacoſtomachus,*

## Lithoſpermon, Milium ſolis.

*Lithoſpermon, id quod alij Lioſporon. Alij Heraclium uocant, non Aetonychon, ab aquilarum unguibus, ſemen lapideum & album profert, quod potum cum uino albo ueſicæ calculos frangere & urinam ciere poteſt.*

## Linoſpermon, Lini ſemen.

*Linoſpermon, calidum eſt in tertio ordine, at humiditatis & ſiccitatis quodammodo in medio cōſtitutum. Manſum flatuoſum eſt, etiamſi frigatur.*

## Linozoſos Mercurialis.

*Mercurialis, uentrē ſubducit efficaciter & pigmentata digerit.*

## Litrum.

*Litron Aphronitri, & ſalium naturam habet, uſtū tenuium partium, & magis digerentis facultatis redditur. Corpori illitum incidit & extenuat craſſos & lentos humores, plus omnibus alijs. Porrò Chalaſtreon ex prouintia Teſſalonica, Chaleſtra acrius & ſiccius eſt. Quare ad deſtillationes capitis, & arthritica eo utuntur.*

## Lonchitidis.

*Lonchitidis, eius uidelicet quæ ſemen habet triangulare, cuſpidis figura. Radix æquales ſcolopendrio uires habet, folia uiridia uulnera conglutinant. Arida uero cū aceto pota, ſplenibus medentur induratis.*

Lycopſos.

www.libtool.com.cn



## Lycopſos.

*Lycopſi, radicem adſtringentem qualitatem habere, teſtis eſt Dioſcorides, & cum polenta quidem cõferre eryſipilatis. Cæterum tritam ex oleo, & corporibus inunctam, ſudores ciere.*

## Lycium.

*Lycium ex diuerſis conſtat ſubſtantijs, altera quidem tenuium partium digerente, altera terreſtri & frigida. Senſum etiam adſtringit, unde deprehenditur ſiccare in ſecundo ordine. Calefacit itaq; & refrigerat mediocriter, propter quod ob uim eius abſtergentẽ, utuntur eo ad medicinas, quæ claritati officiũt oculorum & pupillorum, & ratione ſtricturæ ad malum coeliacum & dyſenterias, & hulcera male habitudinis, poſtremo & ad phlegmonas, propter diſcuſsionem. Præfertur ad hæc omnia Indicum.*

## Lyſimachium.

*Lyſimachium, prædominantem habet acerbam qualitatem, qua quidem uulnera glutinat & ſanguinem retinet, tam ipſa quam ſuccus eius. Pota ſubinde uel iniecta dyſenteriæ præſentaneum remedium eſt.*

## Lychnis.

*Lychnidis, coronariæ ſemen, calidum eſt at ſiccum in ſecundo ordine complete.*

## Lotos domeſtica.

*Lotos domeſtica, q ã alij tryphyllon nominant, mediocriter abſtergendi & ſiccandi potentiæ, uel potius caliditate temperata.*

www.libtool.com.cn



## Lotus Agreſtis.

Loti ſylueſtis ſemen, ſecundi eſt calefacientium ordinis, habetq́; quiddam abſtergens.

## Lotos Aegyptia.

Loti Aegyptiæ ſemen, huiuſmodi eſt, ut ex eo panis fiat.

## Lotus arbor.

Lotos arbor, tenuiũ partium eſt, & ſiccans & adſtringens mediocriter, itaq; accommodatur profluuijs mulierum, & coeliacis affectibus, ſiue in aqua uel uino pota, ſiue etiam infuſa. Fluentes quoque capillos confirmat.

## DE HIIS QVAE INcipiunt ab litera M.

## Macer.

MAcer cortex, qui ex India delatus. Siccat in tertio ordine, mediatq́; quodammodo inter caliditatem & frigiditatẽ. Acerbus præterea, & partium tenuiũ. Proinde coeliacis ac dyſſentericis congruit.

## Malabathrum.

Malabathrũ foliũ, poteſtate nardi ariſtæ eſt ſimile.

## Malache, Malua.

Malua, ſylueſtris, diſtrahẽdi & molliendi facultatẽ habet. Hortenſis quatenus plus humiditatis admittit, eatenus poteſtate imbecillior. Fructus eius eousq́; ualidior eſt, quatenus eſt aridior.

## Mamiras.

www.libtool.com.cn


*Mamiras, radix eſt quædam herbæ digiti craſsitudinis, quæ cicatrices & Leucomata attenuare credita eſt, manifeſte abſtergentis potentiæ.*

## Mandragora.

*Mandragora, tertij eſt refrigerantium ordinis. Mala uero eius caliditatem quandam & humiditatem participant, quare ſomnum conciliandi uim habent. Radicis autem cortex, cum ſit ualidiſsimus, non modo refrigerat, uerumetiam areſacit. Arbor ipſa imbecillior eſt.*

## Manna.

*Manna Thuris, Thuri eaſdem uires habet, inefficaciores tantummodo, & ſenſim adſtringentes.*

## Marathrum.

*Fœniculum, calefacit in tertia potentia, areſacit uero in prima. Proinde lac gignit, & eodem modo ſuffuſis quoq; auxiliatur.*

## Maſtiche Chia.

*Maſtiche Chia, calefacit & exiccat in primo gradu. Compoſita quodammodo ex contrarijs potentijs, acerbeſcenti, & mollienti. Ideo ſtomachi, & alui, & inteſtinorum, & iecoris conuenit inflammationibus.*

## Maſtiche Aegyptia.

*Maſtiche Aegyptia nigrior, tum exiccat amplius, tũ diſcutit minus, furunculos digerit.*

## Melan Indicum.

*Melan Indicũ, ut inquit Dioſcorides, ex facillime refrigerãtibus eſt, phlegmonasq; & oedomata rũpẽtibus hulcera remouentibus.*

www.libtool.com.cn



## Melanteria.

*Melanteria, ſtringit uehementer, eſtq́; partium tenuium.*

## Atramentum ſcriptorium.

*Atramentum ſcriptorum, priori magis deſiccat, & cum oxicrato pericauſtis inunctum, iuuat.*

## Melanthum.

*Melanthum, calefacit, & arefacit iuxta tertium ordinem, & partium tenuium eſt. Quare odoratum, catarrhis, ſiue deſtillationibus medetur. Intra etiã aſſumptum, flatus diſcutit, latos lumbricos interimit, nimirum propter amaritudinem quam habet. Præterea quoniam abſtergit, & incidit, arthopnoicis porrigitur, & lepras abſtergit. Ad poſtremum myrmecias exterit, & menſtrua commouet.*

## Mel.

*Mel, calefacit & exiccat in ſecundo ordine, & inter ſtrenue extergentia numeratur. Coctum tamen minus acre, abſterſoriumq́; redditur, ad uentrem ſubducendũ, cum alioqui plus nutriat.*

## Mel amarum.

*Mel amarum, & quod in Sardinia gignitur, miſtæ eſt potentiæ, terreæ uidelicet, & calefacientis.*

## Sachar.

*Sachar, quod ex fœlici Arabia defertur, minus quidem noſtrati dulcius, ſed adſimiles tamen uires obtinet, neq; cacoſtomachum, neq; ſitum afferens.*

Melia

www.libtool.com.cn



## Melia, Malus Perſica.

*Melia, nota arbor, cuius folia pota, à uipera morſis auxiliantur. Cortex uſtus, & cum aqua illitus, lepras adimit. Ligni tamen ramenta pota, lætalia eſſe ferũtur.*

## Melilotum.

*Melilotum, mixtæ eſt potentiæ, acerbeſcentis uidelicet, & diſtrahentis, & concoquentis.*

## Meliſſophyllon.

*Meliſſophyllon, conſimilem praſio potentiam habet per omnia.*

## Memæcylos.

*Memæcylos, corni arboris fructus, de quo ante dictum eſt in litera K.*

## Meſpila.

*Meſpila, quæ & Tricocca. Huius arboris fructus admodum acerbus eſt, adeo ut edi uix ualeat. Proinde uentrem compeſcit. Quin & rami & folia eadem qualitate prædita ſunt.*

## Medion, Trifolium odoratum.

*Medij radix. ſemini contrariã uim habet. Nam hæc quidem auſtera cum ſit, fluxiones retinet. Cæterum, ſemen ueluti partium tenuium, & facultatis incidendi, Menſes propellit.*

## Papauer, Ryas.

*Eſt etiamnum Papauer, quod Rhoeas nominatum eſt, ex eo, quia confeſtim defluit. Huius ſemen ualidius refrigerat quàm Hortenſe. Nequaquam tamen innoxie editur*

www.libtool.com.cn



editur, cum alioqui melle plurimo miſtũ, reddatur optimum. Item aliud eſt, quod in capitulo ſemen nigrum continet, medicamentis aptum, ſed uehementer refrigeratorium. Et tertium prælongis capitibus omnium medicatiſsimum, ad Ecſtaſim etiam, & uſq; ad mortem ſtupefaciens, eſt nanq; quarti, & ultimi refrigerantiũ ordinis, & ipſum & ſuccus eius, quem uocant, per excellentiam opium.

## Papauer cornutum.

Cornutum papauer, abſtergentis eſt potentiæ, quare radicis eius decoctum potum, hepaticos iuuat. Porrô folia & flores, ſordida hulcera reſtaurant, & eſcharas auferunt.

## Papauer Heracleum.

Heracleum, & Aphrundes uocatum papauer, ſemẽ habet, quod pituitam expurgat.

## Mala.

Malis omnibus excrementicia & frigida ineſt humiditas. Et alia quidem humidæ ſubſtantiæ ſunt, frigidiora & humidiora alia. Rurſum alia dulcia, aquoſitate quidem non adeo manifeſte frigida. Alia auſtera, frigidiora quidem præ dulcibus, ſed minus humecta. Item aceta ſa, & ipſa frigida, uerum in uentre humorum inciſiua, ad poſtremũ adſtringẽtia, cuiuſmodi ferè ſunt Cydonia, & mala ſtruthia frigidæ & terroſæ eſſentiæ, propter quod uentrẽ ſiſtunt, et uulnera cõglutinant. In eũ modũ folia, ſucci, et cortices, aliarum arborũ inter ſe diſsident.

Malus

www.libtool.com.cn



## Malus Perſica.

*Mali Perſicæ, germina & folia amaræ qualitatis manifeſte ſunt. Ideo trita, atq; uentri ſuperimpoſita, uermes necant. Cæterum, fructus eius, quod Perſicum nominatum, æſculentum, temperamento humidum eſt, & frigidum in ſecundo ordine.*

## Mala Armenica.

*Mali Armeniacæ fructus, quos uocãt Præcocia, Perſicorum ſunt potentiæ.*

## Meon.

*Meu radices calefaciunt in tertio ordine, & exiccãt in ſecundo. Vrinam igitur mouent, & menſtrua cient. Si plus tamen ſumpſeris, quàm par fuerit, capitis dolores exuſcitant.*

## Milax.

*Milax, tum Telia, tum Trachia, arboribus circumuoluitur. Calefacientisq; & acrioris eſt potentiæ.*

## Miſy.

*Miſy, ex his eſt, quæ rehementer incruſtant, & cauſtica ſunt, proinde ualde adſtringit. Eiuſdem ferè facultatis, Miſy, Pſori, & Chalcitis. Cæterum Miſy Chalcitide minus mordet, etiamſi partium magis tenuium.*

## Molybdena.

*Molybdena, ſimilem Litharгyro uim poſſidet, tantum à media temperie, ad frigidius paulũ quid recedens.*

## Molybdos, Plumbum.

*Plumbum facultatis eſt refrigeratoriæ, habetq; plurimum*

www.libtool.com.cn



rimum eſſentiæ humidæ à frigore coactæ. Trito igitur in plumbi mortariolo, ſiue uino, ſiue oleo, uel quolibet alio ſucco, qui refrigerare debeat, ad phlegmonias hulceratas, quæ in pudendis, aut circa ſedem protuberãt, medicamentum commodũ efficitur. Quin & lamina plumbi lumbis adligata, uel inſtrata, fluorem ſeminis in ſomnis cobibent. Sed & Bractea tenuis, ganglijs ipſis appoſita, diffundit ea.

## Plumbum uſtum.

Plumbum uſtum, ſiccius eſt, & quiddam habet acre. Elotum ſine mordicatione deſiccat, & malorum hulcerum optimum eſt medicamentum.

## Morea, Moruc.

Morum maturum, uentrem ſubducit. Immaturum, ubi aruerit admodum adſtringit. Cortex arboris, radicis uim purgandi habet, cum quadam amaritudine, quare & latos lumbricos perimit. Folijs uero & germinibus media quodammodo eſt ſubducentium & retinentium facultas.

## Myagros.

Myagri ſemen craſſum eſt, & quod in ſe oleoſum habet, emplaſticæ eſt potentiæ.

## Myaces, piſces, uel Mituli.

Myaces uſti, eandem facultatem habent cum buccinis, priuatim tamen abluti aſperitatem palpebrarũ, & albugines oculorum, cum melle abſtergunt. Canũ præterea morſibus utiliter caro eorum imponitur.

Myaron

www.libtool.com.cn


## Myaron, uel Myagros, herba.

*Myagros, quam alij Melampyron, fructuoſa herba eſt, & pinguis, crediturq́; ſeminis pinguitudo illa, cutis aſperitates æquare omnes, & leuigare.*

## Myelos, Medulla.

*Medulla, mollientis eſt facultatis, induratorum & aridorum corporum, imprimis uero ceruorum, dein uitulorum, nam taurorum & caprarum acriores ſunt, & exucciores.*

## Mitetes, Fungi.

*Fungi, uehementer frigidi & humidi ſunt tempera-menti. Et quidam eorum comeſti, interficiunt, potiſsimum qui ex natura miſtam habent qualitatem.*

## Myos, ωtis, Auricula muris.

*Auricula muris, explicata eſt in dictione Alſinæ.*

## Myza.

*Myza, arboris cuiuſdam fructus, longe minor Coccymelis dictis, id eſt, Prunis.*

## Myrice.

*Myrice, ſecandi eſt & abſtergendi potentiæ, ſine tamen deſiccatione manifeſta. Habet uero quiddam etiam naturæ adſtringentis, & ob id quidem eius decoctum, ſplenes induratos ſatis iuuat, dentium quoq; dolores perſanat. Cæterum, fructus & cortex, eiuſdem eſt potentiæ, cuius eſt Galla. Cinis prædictis omnibus ſiccior eſt.*

## Myriophillon.

Myrio

www.libtool.com.cn



Myriophillon, exiccatoriæ eſt facultatis, in tantum ut uulnera glutinet.

## Myrrha, uel Myrrhis.

Myrrha, ex ſecundo eſt calefacientiũ ordine, partiũ habens nonnihil tenuium. Radicem habet non iucundi modo odoris, uerumetiam dulcem, quæ Menſes mouet, & quæ thoracem uel pulmonẽ prægrauatũ expurgat.

## Myrrhine, Myrtus.

Myrtus, ex contrarijs eſſentijs conflata eſt, dominatur enim in illa quiddam terreſtre frigidum, propter quod impenſe admodum deſiccat. Porrô Myrtis, quæ in ſtirpe & ramis Tuberoſa adnaſcitur, identidem exiccat & conſtringit, ſed ualidius. Et folia ipſa ſicca uiridibus plus arefaciunt. Fructus itaq; & ſuccus eiuſdẽ ſunt potentiæ, ſiue extra, ſiue intra in corpus ſumpta.

## Moly.

Moly, quam aliqui uocant Rutam agreſtem, nonnulli Armanam, Syri uero Beſaſan, tertiæ eſt claßis calefacientium, cum partium tenuitate. Vnde ſiccat & diſtrahit craſſos & tenaces humores, urinam aduertit.

# DE HIS QVAE ICIPIVNT ab litera ν.

## Naſcaphton.

NAſcaphthon, ſiue Nacaphtyon, Indicũ eſt aroma, adſtrictus fœminarum locis ſuffitum, uel euaporatum, prodeſt.

## Napy.

www.libtool.com.cn


*Napy, calefacit & exiccat ſecundum quartum ordinem.*

## Nardoſtachijs.

*Nardoſtachis, radix calefacit quidem in prima diſtantia, arefacit autem in ſecunda. Conſtat uero ex acerbeſcente aliquantulum eſſentia & acuta, non admodũ calida, & quodam ſubamaro breui. Vnde pota & iecinori & ſtomacho competit. Quod ſi extra imponas, uel intro ſumas, per potionem etiam urinas mouet, interraneorum ſane fluxiones deſiccat. Validior tamen ad omnia eſt Indica, quàm Syriaca, & nigra.*

## Nardus Celtica.

*Nardus Celtica, proxime eſt iam dictæ potentiæ, & in cunctis imbecillior præterquàm ad mouendam urinam. Alioqui calentior memorata ſpica, minus uero acerba.*

## Nardus Montana.

*Nardus montana, quæ & Thylacitis & Pyritis eſt dicta, prædictis imbecillior.*

## Ferula, Narthex.

*Narthicos, ſemen quidem extenuat & calefacit, uerum medulla adſtringit. Propter quod Hæmoptoicis & coeliacis auxiliatur.*

## Narce Thalaſſia, Torpedo.

*Torpedo marina, caput dolentibus adhuc uiuẽs impoſita, dolorem arcet. Idq; eodem illo tempore, quo membra omnia, hominis cõtactu eius torpore creduntur. Vi-*


Mo. Bot. Garden,
1893

www.libtool.com.cn



*tur. Viuēs præterea in oleo percocta atq; inuncta acre articulorum dolorem mitigat. Eadem procidentem autē inuersam ſedem appoſita coërcet.*

## Narciſſus.

*Narciſsi radix, ſiccantis eſt potentiæ in tantum ut uulnera glutinet, uel ad inciſiones uſq;, quæ circa tendones accidunt. Habet quiddam etiam abſtergens & reuellens.*

## Neuras.

*Neuras, quidam poterion appellant, ſiccantis ſine mordicatione eſt potentiæ Adeo ut neruos præciſos glutinare potis ſit. Idem faciunt & radices tum impoſitæ, tum potæ.*

## Nerium Rhododaphne.

*Nerium, aut Rhododapne, extrorſum quidem cataplaſmatum digerentis eſt potentiæ. Intro uero aſſumptum interficit.*

## Nimphea.

*Nymphæa, uim habet areficiēdi citra uellicationē. Retinet etiam fluxiones & uentrem ſemenq; deſiccat.*

## Nimphea Alba.

*Quæ albam habet radicem nymphæa, uehementioris eſt poteſtatis, adeo ut cum uino nigro uel auſtero pota, fœminarum fluxus cohibeat. Porrò quæ radicem nigram habet, abſtergendi eſt potentiæ. Proinde cū aqua*

uitiligines

www.libtool.com.cn


*uitiligines exterit, & alopecias cum liquida pice ſanat.*

## DE HIIS QVAE IN= *cipiunt ab litera ξ.*

### Xanthion.

XAnthion, *quod alij phaſganion, ſemē habet digerentis potentiæ,*

### Xiris uel Xyris.

*Xiris tenuium partiū digerendi & attractoriæ eſt facultatis, uidelicet ſiccæ, ſed multo magis ſemen, quod urinam cit & ſpleni indurato opitulatur.*

## DE HIIS QVAE IN= *cipiunt ab litera O.*

### Othonnia.

OThonniam, *aliqui herbæ cuiuſdam eſſe fructum, in Arabia circa Aegyptū naſcentis. Alij lapidem Aegyptium aſſerunt, abſtergit & mordicat. Quamobrem quæ claritati officiunt oculorum exterit.*

### Oenanthe.

*Oenanthe, ſylueſtris uitis flos, cuius admodum multus eſt uſus, uehemēter adſtringit. Dioſcorides alterā quandam deſcribit contrariam potentiam habentē, quæ ſecundas eijcere, ueſicæ ſtillicidia, & ictericiam curare creditur.*

### Vinum.

www.libtool.com.cn


*Vinum ex ſecundo ordine eſt calefacientium & ſiccantium, ſed quod admodū uetus eſt, ex tertio ſicut muſtum, quod dicunt ex primo.*

## Oeſypus.

*De Oeſypo, in lanis ſermo habitus eſt.*

## Olinthi Craſſi.

*Olinthi, acutæ ſunt & diſijciendi potentiæ, propter ſuccum qui illis ineſt. Cocti itaq; duros tumores diſcutiunt. Crudi uero myrmetias & Thymos eijciunt.*

## Oloſtium.

*Oloſtium, deſiccandi facultatem habet cū aſtrictione. Quare ad rupta eo potiſsimum utuntur.*

## Omphacium, Ex acerbis Vuis expreſſus ſuccus.

*Omphatium, ſuccus eſt uuæ necdum matureſcentis, ſtringit uehementer & ſiccat in tertio ordine, quare fluxionibus & maxime ſtomachicis auxiliatur.*

## Onagra.

*Onagran, alij onotheram, alij onothurim uocant, grandis frutex eſt & arboreſcit. Cuius radix emplaſtri modo impoſita, doloſa & malefica hulcera lenit.*

## Onoma uel Onoſma.

*Onoma uel onomis, uel phlomitis, acris & amara eſt herba. Cuius folia cum uino pota, ex utero fœtū trahunt, & abortiua prægnantibus ſunt.*

## Onobrychis.

*Onobrychis, rarefaciendi & digerendi facultatem obtinet.*

www.libtool.com.cn


*obtinet. Phymata igitur digerit & ſtranguriás ſanat. Ad poſtræmum etiam ſudores elicit.*

## Oui Aſini.

*Millipedæ, quæ in orbem ſe agunt, digerẽtis & ſiccæ ſunt potentiæ. Quare cum uino diſſurijs & arquatis ſubueniunt. Synanchicis uero cum melle inungũtur, Inſuper conciſis & in malicoro addito roſaceo calefactis, moxq; in aures inſtillatis, eorũ doloribus medẽtur.*

## Onyches, Conchulæ Indicę.

*Onyches, teſtæ ſunt Conchularũ Indicarum. Quæ ſuffitæ, ſtrangulatione uuluarum concidentes fœminas excitant, ſimiliter quoq; epilepticos potæ, tamen aluum turbant.*

## Ononis.

*Ononis, radicem habet calidam in tertio quodamtenus ordine. Cortex eius abſtergit & incidit, quamobrem & lapillos confringit.*

## Acetum.

*Acetum, mixtæ eſt potentiæ, refrigerantis uidelicet & calidæ, utrimq; partium attenuantium, tametſi frigiditas ipſa exuperet. Porrò deſiccandi quoq; facultatem obtinet, quæ in illo prædominatur, uſq; in tertium gradum.*

## Oxyacanthos.

*Oxicanthos arbor, piro ſyluestri ſimilem tum ſpeciem, tum qualitatem habet, quiddam ipſa partium tenuium. Cæterum fructus myrtis adſimilatur.*

www.libtool.com.cn


*Opos, qui & Cyrenaicus & medicus & Syriacus, ſecundum excellentiam dicuntur, calidi ſunt uehementer & ſpirituoſi. Maxime uero Cyrenaicus, reliquis calidior, & partium magis tenuium.*

## Origanus.

*Origani, omnes ſecandi & attenuandi & arefaciendi, & calefaciendi potentiæ ſunt in tertio ordine.*

## Oreoſelinon.

*Oreoſelinon, proximam apio facultatem habet, & fortaſſe etiam uehementiorem.*

## Orobanche.

*Orobanche, calidi & ſicci eſt temperamenti, in primo ordine.*

## Orobos.

*Orobus, calefacit in primo gradu, arefacit uero in ſecundo, & quatenus quidem amaritudinem habet, eatenus incidit & abſtergit, atq; ab opilatione dimouet, Plus autem aſſumpta, ſanguinem per urinam agit.*

## Orminon.

*Orminon, æquale eſt marubio in caliditate, ſed mediocriter ſiccum & abſtergens. Venerem igitur extimulat. Purgat etiam cum melle oculorum albugines & oedemata diſcutit, & ſurculos extrahit. Verum agreſte hortenſi multo ualidius eſt.*

## Oriza.

*Oriza, quiddam habet acerbeſcens, propter quod uentrem mediocriter cohibet.*

## Orchis.

www.libtool.com.cn



*Orchis herba, uocatur alio nomine Cynos orchis, bulboſam & duplicē radicem habens. Calefacit & humectat, ſed non admodum, unde Venerem ſuccendit.*

## Orchis minor.

*Orchis minor, calefacit & ſiccat, priori ex diametro repugnans, & coitum reprimens.*

## Orchis ſerapia.

*Orchis, quem & ſerapida nominant, alij uero Triorchim, priori magis exiccat, oedemata igitur diſtrahit, hulceraq; ſordida & in putredinē uergentia repurgat. Quanq̃ & Herpetes quoq; ſanat. Siccata tamen uehementius arefacit, idq; adeo propter adſtrictoriā uim, qua fit, ut cum uino pota, uentrem retineat.*

## Oſiris.

*Oſiris, ex qua fiunt Coremata, ſiue Cacoremata, amara, & ad amouendam opilationem idonea. Quare Hepatis præfarctus aperit.*

## Oſſa humana.

*Oſſa combuſta admodum digerentis & exiccantis ſunt potentiæ, maxime uero, ut quibuſdam placet, humana.*

## Oſſa ſuum.

*Talum ſuillum uſtum, inflationes & tormina ſanat. Et quidam oſſa combuſta dedit bibere epilepſiamq; & arthritim hoc medicamine curauit.*

## Talum Bubulum.

www.libtool.com.cn


Talum Bubalum uſtum, commotos dentes, aiunt conſtabilire, cum melle uere potum, rotundos lumbricos expellere. Idem cũ aceto ſplenem diſſoluit, & λεύκας inunctum medicatur, Venereum eſt. Porrò femora bouis uſta atq; ſubinde pota, hæmorragias & reliquas fluxiones ſiſtunt.

## Teſtę Oſtraca.

Oſtraca, quæ ex fornacibus ſunt, ſiccantis & abſtergentis ſunt potẽtiæ. Quare dentes abſtergũt, & illita cum aceto prurigines, & exanthemata, & podagricos iuuant cum cerato, etiam choeradas diſcutiunt.

## Oſtrea.

Oſtreorum teſta uſta, ſimilis eſt facultatis buccinorum teſtis. Etiamſi minus partium craßiorũ. Itaq; quæ in facie ſunt abſtergit, & dentes albificat. Eadem elota, mordicationem amittit, humidaq; hulcera incarnat, & ad cicatricem perducit.

## Vrina humana.

Vrina, omnis calida eſt & acris potentiæ, at urina hominis, omnium propè aliarum eſt imbecillima, exceptis porcis quibus erecti ſunt teſtes, uehemẽter adſtringit. Quidã in fame eam bibẽtes ſeruati ſunt. Lepras & hulcera, ſordibus & impuritate ſcatentia, achores & furfures, abſtergit. Præterea pedum attritus, ſed nondum inflammatos.

## Vrina pueri impubis.

Ex homine omnium efficacißima, eſt urina impubis pueri.

Vrina

www.libtool.com.cn



## Vrina Muli.

*Mulorum lotium, articulorum morbis congruit.*

## Vrina Caprarum & Camelorum.

*Vrina caprarum, uentrem ſubducit, & hydropicis bibendum datur.*

# DE HIS QVAE INCIPIUNT *ab litera* P.

## Pancracion.

*Pancracion, Scillæ ſimilitudinem & potentiam refert, præterquam quod imbecillius eſt.*

## Paliurus.

*Paliuri folia & radix adſtringunt, proinde uentris fluxum cohibent, & phymata non admodum calentia digerunt. Cæterum fructus incidit in tantum, ut calculos ueſicæ comminuat, & thoracis excreationibus auxilietur.*

## Panacos.

*Panaces Heracleon, ex quo exprimitur, quod uocatur opoponax, tertij calefacientium ordinis eſt, arefacientium uero ſecundi, ex eorum numero quæ permulcent atq; digerunt. Cortex autem ſucco imbecillior eſt, quin & nonnullam abſtergendi, incarnandiq; habet facultatem. Fructus menſtrua agit. Panaces, aſclepium, & chironium, heraclio calidiora ſunt, & ob id floribus unà cum fructu ad maligna hulcera, & phymata utuntur.*

## Papyrus.

www.libtool.com.cn



Papyrus, inuſta quidem materia quædam eſt, uerum uſta exiccat non aliter, quàm charta combuſta. Cinis tamen papyri imbecillior eſt.

## Paronychia.

Paronychia, ab effectu ſic nominata eſt, quia paranochias ſanat. Vis eius tenuium partium eſt, & exiccatoria, & morſu carens.

## Pentaphyllos.

Pentaphyllos, areſacit in tertia diſtantia, minime tamen acuta eſt, ideo ualde utilis perhibetur.

## Peplos.

Peplos, quidam alij mecon aphrode. Et hic frutex ſuccum, ſoluendi ui, tithimallis ſimilem habet.

## Peplion.

Peplium, & hoc quoq; ſuccum habet, naſciturq́; ad mare copioſum, cætera inutile. Semen habet feruens ſimiliter ſemini pepli purgans.

## Piper.

Piperis radix, coſto ſimilem qualitatem habet. Porrô fructus nuper quidem admodum germinantis, longũ piper eſt. Temperamento calidum & humidum, uelut omphax.

## Piper album.

Album piper, nigro acrius eſt. nam illud iam quaſi ſuper aſſatum eſt, & ſuper incoctum. Alioqui utrunq; tum excalfacit, tum deſiccat.

## Pepon.

Pepon

www.libtool.com.cn


Pepon, abſtergentis eſt potentiæ, quare caro eius ephelides & uitiligines exterit. Semē obturatis renibus utile eſt.

## Periclimenon.

Periclimeni folia & fructus, incidendi ſimul & calafaciendi ſunt potentiæ, adeo ut quadraginta diebus pota, urinam ſanguinolentam exigant, atq; excernant. Iuuant & lienoſos, & difficulter ſpirantes.

## Periſtereon.

Periſtereon, in tantū exiccat atq; adſtringit, ut uulnera glutinet, & hæmorrhagiam compeſcat.

## Petaſitis.

Petaſitis, ex tertio eſt ordine exiccantium, quare ad cacoethe & phagædena hulcera ea utuntur.

## Petroſelinon.

Petroſelini ſemen, calidum & ſiccum eſt in tertio ordine, & ſecandi uim habet. Menſtrua igitur cit, & urinas large, eſtq; citra ſufflationem.

## Peucedanum.

Peucedani ſucco, & iure, & liquore uehementer calefacienti, & digerenti, & attenuanti utimur. Siquidē & olfactu, & in potione ſumptum, craßis, uiſcoſisq; in pulmone & thorace paßionibus medetur. Adhæc & induratos lienes iuuat. Cauis dentibus inditum extēplo dolores ſedat. Sed & neruorū paßionibus congruit. Radix oßis ſquamas demouet, & hulcera ſanat, quæ cacoethe uocantur, calida & ſicca, ſecundū tertū ordinem.

Picea

www.libtool.com.cn



## Picea.

*Peuce, proximam pino facultatem habet, licet temperatiorem.*

## Peganon, Ruta.

*Ruta agreſtis, in quarto eſt ordine calefacientium & areſacientium. Hortenſis uero in tertio. Vnde etiã ſecat & diſtrahit craſſas & lentes humores, perq; urinam ducit. Partium eſt tenuium, & ſine flatu, & ob hoc Venerem coercet.*

## Piſſa, Pix.

*Pix ſicca calefacit in ſecundaria diſtantia, minus tamen excalfacit. Ex contrario humida, uires habet abſtergendi, concoquendi, & digerendi, quiddam etiam acerbum. Proinde & leproſos ungues eximit, lichenas detergit, & tumores concoquit, ad omnia ualentior, unde aſthmaticos, & empyicos cum eclegmate iuuat. Arida hoc habet, quod ad uulnera glutinanda magis congruit.*

## Piſſelæon.

*Piſſelæon, ex humida fit pice, ſed eſſentiæ tenuioris.*

## Piſtacia.

*Piſtaciorum fructus commeſtus, euſtomachus eſt mediocriter, & hæpatis obſtructiones laxat, præcipue ad id poteſt ſumi, & odorari eorum decoctum. Contra ſerpentium etiam morſus euxilio ſunt.*

## Pitydes.

*Pityides, fructus picearum, uel pinei mali, mixtæ eſt potẽtiæ, partim ſcilicet adſtringentes, partim acres,*

unde

www.libtool.com.cn



*unde ex thorace conferunt ſputamentis.*

## Pityocampæ.

*Pityocampæ, eandem quam Cantharides & bupreſtes facultatem habent.*

## Piceæ cortex.

*Piceæ cortex, dominantem habet acerbeſcentem potentiam, eouſq;, ut inter trigenes & ambuſta ad cicatricem perſanet. ventrem etiam retinet potus, & uulnera conglutinat.*

## Pityuſa.

*Pityuſa, & hanc quidam ſpeciem tithymalli faciunt, quod ſuccũ habeat ut illæ, quodq; ſimiliter illis purget.*

## Platanus.

*Platanus, humidioris eſt, & frigidioris eſſentiæ, unde folia uiridia, phlegmonas naſcentes adiuuant. Cortex autem & pilulæ aridioris ſunt poteſtatis. Vnde in aceto cocta, ad dentium dolores ſedandos conueniunt. Cum pinguedine ambuſta, ad cicatricẽ perducunt. Cortex uſtus, aridior & adſtringentior fit, adeo ut lepras & humiditates hulcerum extergeat.*

## Pulmo Agninus & Suillus.

*Pulmo agninus & ſuillus, intertrigenes à calciamentis curare creditur.*

## Pulmo Vulpis.

*Vulpinus pulmo reſiccatus, aſthmaticos iuuat.*

## Pulmo marinus.

*Pulmo marinus, podagris pernionibus cõmode illinitur.*

www.libtool.com.cn


## Polemonium.

*Polemonium, alij Phileteriũ, tenuium partium eſt, & ſiccum, quare nonnulli exhibent iſchiradicis, & tor minoſis, & durum ſplenem habentibus, bibendam radi cem ipſius cum uino.*

## Polium.

*Polium, quod amarius eſt, cuius etiam ad antidota uſus eſt, tertiæ eſt calefacientium & ſiccantium ordinis. Amouet igitur opilationes ab omnibus inteſtinis, & uri nas, & menſtrua cit. Viride præterea prægrandia uul nera glutinat. Siccatum, hulceribus uicioſa conſuetu= dine medetur.*

## Poligalon.

*Poligalon, auſtera mediocriter folia habet, quæ po= ta, lac gignere uidentur, manifeſtæ calidæ & humidæ potentiæ.*

## Polygomaton.

*Polygonaton, mixtæ eſt facultatis. Siquidem conſtat ex adſtrictione, acrimonia, & amaritudine quadam, quaſi faſtidioſa, propter quod ad multum accommoda= tur. Radice eius quidam pro cataplaſmate utuntur, & ex facie neuos illo extergunt.*

## Polygonon.

*Polygonon, habet quiddam acerbeſcens, ſed prædo= minatur. Eſt aquoſum frigidum in ſecundo ordine. Iu= uat cataplaſmate illitum, eos, quibus ſtomachus ardet, & ereſipilata, & anlidas phlegmonas, & ſi quid eſt*

aliud eius

www.libtool.com.cn



*aliud eius generis morborum. Et tale cum ſit, fluxiones iuuat. Apparet etiam nonnihil ſiccare, & mas ad omnia fœmina efficacior eſt.*

## Polycnemon.

*Polycnemon, calefacit & ſiccat in ſecundo ordine, itaq; uulnera conglutinat.*

## Polypodion.

*Polypodium, ſiccat uehementer, & ſine morſu eſt potentiæ, & potum per inferna purgat.*

## Pompholix.

*Pompholix, exiccat, ſine morſu, ex his, quæ ſordida, & alia malehabitudinis hulcera incarnant. Miſcetur & ophthalmicis facultatibus.*

## Purpuræ.

*Purpuræ uſtæ, eiuſdem ſunt potentiæ cum oſtracis. Eorum opercula cocta in oleo, fluentes capillos retinēt. Porrô cum aceto lienes tumentes contrahunt. Locorum etiam præfocatione concidentes fœminas excitant, & à partu ſecundas eijciunt.*

## Potamogiton.

*Potamogiton, acerbeſcit & refrigerat, modo quo & polygonon, æqualis per omnia cum eo potentiæ.*

## Poterrhion.

*Poterrhion, alij Phrocnium, neruos præciſos, & reliquas neruorum affectiones ſanat, & uulnera glutinat.*

## Praſium, Marrubium.

*Marrubium*

www.libtool.com.cn



Marrubium, calefacit in ſecundo ordine, ſed magis exiccat. Proinde aperit opilationes hepatis, & ſplenis, & quæ ſunt circa thoracem, & pulmonē, & menſtrua aduertit. At cataplaſmate impoſitum, abſtergit, & digerit, uel ut alijs placet, abſtergit & incidit.

## Praſon, Porrum.

Porrum, mali ſucci eſt, acutā uim habet, ut inquit Dioſcorides, grauiaq; & tumultuoſa facit inſomnia. Bonam item aluum facit, urinam ducit, atq; extenuat. Quadamtenus etiam abſtergit, unde cum ptiſana coctum, pectoris excreationes adiuuat. Porrò ſemen nephreticis miſcetur facultatibus. Et folia ipſa adſtringunt, quamob cauſſam ſanguinem ſiſtit eorum expreſſus ſuccus.

## Pinus.

Pinus, ſimilem facultatam habet cū quercu, aliquanto tamen illa ualentior.

## Propolis.

Propolis, calefacit quidem in ſecundo ordine, ſed abſtergit mediocriter. Partium tenuium, & ab obſtructione liberandæ potentiæ.

## Ptarmice,

Ptarmicæ folia ſternutamenta mouent, & totus frutex, quia ſubamarus eſt. Reliquas echimoſæis digerit. Eſt autem calida & ſicca, uirens quidem in ſecundo ordine, arefacta in tertio.

## Ptelea, Vlmus.

Ptelea, arefacientis eſt potentiæ, & abſtergentis.

Quamobrem

www.libtool.com.cn



*Quamobrem uulnera glutinat. Cortex uero multo magis, ſi recens, uinculi uice circumligetur. Cum aceto lepras quoq; ſanat, radices eiuſdem ſunt poteſtatis. Nā & decocto earum quidam perfundunt fracturas quæ callo opus habent.*

## Pteris.

*Pteris, ſiccæ potentiæ eſt & amare, quare embrya & latos lumbricos occidit, quatuor drachmarum pondere cum melicrato, quia autem & mediocriter quoq; adſtringit, fit ut hulcera ſine mordicatione exiccet.*

## Picnocomon.

*Picnocomon, digerentis & acutæ potētiæ eſt, cuius folia phymata, & furunculos diſijciunt. Fructus ad eadem ualent, & infixa ad extimam ſuperficiem trahūt; radix bilem flauam expurgat.*

## Pyrethrum.

*Pyrethri radix, cauſticam habet facultatem, & dentium refrigeratorum dolores mitigat, aduerſumq; rigores, ante periodum conteritur cum oleo, ad hæc ſtupidos quoq; & reſolutos adiuuat.*

## Pyros, Triticum.

*Triticum, calefacit in primo ordine, mediatq; inter ſiccitatem & humorem. Habet uero quiddam etiam lentoris obſtruentisq; naturæ.*

## Pitya Coagulum.

*Coagulum, uniuerſum acutæ & ſubtiliatis & digerentis, & poſtremo manifeſtæ etiam arefacientis eſt potentiæ.*

www.libtool.com.cn


## Coagulum Leporis.

*Leporum coagulum, epilepticos iuuare, ſi cum aceto bibatur, & profluuium ſanare muliebri proditum eſt. Sed & lac in uentre coagulatum diſſoluere, & ſanguinis exſtreationes cohibere prædicant.*

## Coagulum Equinum.

*Coagulum equinum, coeliacis & dyſentericis peculiariter accommodari, ſcripſere quidam.*

## Coagulum phocę.

*Coagulum phocæ, eaſdem cum caſtorio uires habet.*

# DE HIIS QVAE INcipiunt ab litera R.

## Racos pannus.

*PAnnus uſtus quilibet, lanæ uſtæ ex qua texitur, facultatem habet. Linum combuſtum partium tenuium fumum ex ſe mittit, qui ſuffitum, catarrhos aperit, & ſecundis congruit, & ſic quidem combuſtum, ſimilem lana facultatem habet.*

## Rhamus.

*Rhamus, exiccat quidem in ſecundo ordine, refrigerat uero in primo. Quamobrē herpetas ſanat, & Ereſipelata, calida autem non ualde. Cæterum ad hæc folijs utendum.*

## Raphanos.

*Raphanos, calefacit in tertia diſtantia, atq; arefacit in ſecunda. Ambarum ſemen uehemens eſt, digeritq́;*

*ſugillata,*

www.libtool.com.cn


ſugillata, & alia id genus liuentia.

## Reon, Ra.

Reon uel Ra, compoſitum eſt, ex terreſtri frigidá, & tenuium partiũ, aereaq; & calida ſenſim adſtringenti ſubſtantia. Quare ad rupta, conuulſa, & orthopnoeam cõducit, liuores diſcutit. Propter adſtrictionẽ uero, Hæmoptoicos, coeliacos, & dyſentericos iuuat. Ratione quoq; utriuſq; facultatis, etiã hepaticis cõfert.

## Rheſinæ.

Rheſinæ omnes calefaciunt & ſiccant.

## Rheſina, Terebinthina.

Rheſina, Terebinthina, præ cæteris merito priores partes meretur, quoniam digerit, mollit, & partium tenuium cũ ſit, etiam abſtergit, ac proinde, pſoras ſanat.

## Rheſina, Pinea & Strobilina.

Pinea & ſtrobilina, quadamtenus acrior rheſinæ, non tamen iccirco magis digerunt uel attrahunt.

## Picea & Abietena.

Mediæ inter has ſunt picea & abietina.

## Roſa.

Roſæ, uis eſt compoſitæ eſſentiæ, ex aquoſa calida, adſtringenti, acerbeſcenti & amara facultatibus. Flos tamen earum adhuc magis acerbeſcit roſis, & ob hoc arefacit.

## Radix Rhodia.

Radix Rodia, calfacit in ſecundo ordine, partium tenuium, & digerentis potentiæ.

## Mala Punica.

Mala Punica, uel Granata, dulcia, in uniuerſum quidem acerbeſcentis potentiæ ſunt. Quamobrem refrigerant & exiccant, auſtera magis refrigerant, ſicciora acuta ſunt & ſtomacho commodiora, acida refrigerant, & cum hoc amplius quiddam habent quo incidunt. Porrò ſicci ipſius acini, acerbiores ſunt ſucco, nec non aridiores. Et hijs omnibus λέμματα σίδια, id eſt, putamina ipſa, quæ ſic uocant. Parem uim habent & Cytini, ſic enim illorum flores appellantur.

## Rhus.

Rhoos, ea quæ βυρσοδεψική, id eſt, coriaria appellata eſt, & medicis eſt uſui, maxime uero fructus & ſuccus, uehementer abſtergentis & ſicci eſt temperamenti, ex tertio ordine, abſtergentisq́; in ſecundo.

## Rhypos Sordes.

Sordes, ab ære ſtatuarum, uel ab uaſis in quibus ἄψανος ἔλαιος ἐναπομένει digerit, & exiccat & mollificat mediocriter, cruda igitur phymata, diſcutit. Porrò de ſordibus impaleſtra, quæ uocant ϖάτα, de ſudore dictum eſt.

## Sordes Aurium.

Sordes quæ in auribus contrahuntur, paronychias ſanare dicuntur.

## DE HIIS QVAE INcipiunt ab litera S.

## Sagapenum.

Sagape

www.libtool.com.cn


SAgapenum, liquor eſt ferulæ, calidus, cum partium tenuitate, & quodamtenus abſtergens. Proinde oculorum cicatricibus & ſuffuſionibus congruit.

## Salamandra.

Crematæ ſalamandræ, cinerem aliqui miſcent, ſepticis & lepricis, pſoricisq; facultatibus.

## Samſuchus.

Samſuchus, calefacit & ſiccat in tertia diſtãtia, eſtq; partium tenuium, & arefacientis potentiæ.

## Sandaraca.

Sandaracæ, cauſticæ eſt potentiæ, perinde ut Arſenicum.

## Sandix.

Sandix, ex partibus conſtat tenuibus, & temperamento ſicco, non tamen excalefacienti.

## Saprotis, Caries lignorum.

Caries lignorũ, ex maxime quæ ex ulmo eſt, mundificat & incarnat humida hulcera.

## Sapon, Sapo.

Sapon, abſtergentis eſt potentiæ.

## Sarcocolla.

Sarcocolla, lachryma eſt Perſicæ arboris, emplaſtica, & ſine morſu arefaciens, quam ob cauſam uulnera conglutinat.

## Sarxiphragos, Saxifraga.

www.libtool.com.cn



Saxifraga, urinas cit, & ueſice calculos confringit.

## Satyrion.

Satyrion uel Triphyllon, humidum eſt & calidum temperamento, & flatus ciens, quare uenerem exuſcitat, ferunt quidam & opiſthotono mederi, cũ uino auſtero potum. Certe Galenus in libro cui titulũ fecit, De Theriacis. Triphyllum, inquit, hyacintho ab aëre turget, & ſemen agreſti Carthamo habet ſimile.

## Lacerta,

De Lacerta ſuo dictum eſt loco. Præter hæc tamen diſſecta & ſuperimpoſita, à ſcorpione ictis auxiliatur.

## Selinon Apium.

Selinon, calidum eſt, atq; adeo, ut urinas & Menſes moueat. Flatus quoque diſcutit, & magis ſemen quàm herba.

## Seſeli.

Seſeleos radix, & inprimis etiam fructus impenſe calefacit, cum partium quadam tenuitate. Ideo urinas ducit. Et aduerſum Epilepſiam, & orthopnoeas remedio eſt.

## Sepiæ Teſta.

Sepiæ Teſta, proxima eſt oſtreo potentia, ſed partium magis tenuium, & abſtergentior. Quamobrem uſta, & cum ſale foßili miſta, oculorum pterygia extenuat. Inuſta & confricata oculorum σύκώσεις, & quæ

www.libtool.com.cn


*& quæ circa reliquam cutem ſunt aſperitates emundet atq; abſtergit.*

## Seſamoides.

*Seſamoidis, albi ſemen calefacit & abſtergit, & dirumpit.*

## Seſamum.

*Seſamum, non paulum habet lentoris atq; pinguedinis. Proinde Emplaſticum eſt & molliens, & in eorũ cenſu, qui mediocriter excalefaciunt.*

## Seps.

*Seps, quàm alij chalcidicam lacertam uocant, in uino pota, ab ſe ipſa morſos perſanat.*

## Sialon, Saliua.

*Saliua, hominum ieiunantium ex impenſe concoquentibus & abſtergentibus eſt, illita igitur puerorum lichenas ſanat, & tumores digerit cũ tritico, quod prius in ore ſit commanſum, deinde ſuperimpoſitum, Hypopia delet, aduerſiſſima beſtijs, hominẽ perunẽtibus.*

## Sideritis Heraclia.

*Sideritis Heraclia, quæ & Helxine dicta eſt. Eſt & alia ἀχίλλειος ſideritis, priori ſimilis, ſed magis adſtringit, quare paſſionibus, ad fluxionem ſollicitantibus congruit.*

## Sideros, ferrum.

*Ferreum in aqua aliquoties extinctũ uehementer ſiccandi potentiam induit. Hæc igitur aqua pota ſpleni in-*

www.libtool.com.cn

durato inprimis conuenit. Si uero in uino extinctũ fue-rit coeliacis & dyſentericis confert.

## Sycios Cucumis.

Cucumis, æſculentus ſubuiridis eſt, refrigeratq; & humectat in ſecundo ordine. Quare & caro quidem eius cocta, lenit phlegmonas, ſemen urens ac recens abſtergentis & inciſoriæ eſt potẽtiæ. Proinde urinas pro mouet & corpus ſplendidum facit, arefactum ſiccat, in primo, & ualẽter extergit, idem præſtat & radix.

## Cucumis agreſtis, Elaterium.

Ex agreſtis cucumeris fructu expreſſus ſuccus, Elaterium uocatur, folia & radix licet ſimilem uim habeant Elaterio, tamen ſint imbecilliora, radix abſtergit, digerit & permollit. Succus exiccat.

## Sillybon.

Sillybon, ſpinoſa eſt planta, albo chamæleonti nõ abſimilis, æſculenta, cuius radicis ſuccus potus cum melicrato, pondere drachmæ unius, uomitum mouet.

## Silurus.

Silurus, muria cõditus atq; cõmeſtus humidam arteriam repurgat, cataplaſmatus, infixa extrahit.

## Blattæ quæ in piſtrinis inueniuntur.

Blatta, quæ in piſtrinis inuenitur, conciſa atq; decocta, aurium dolores ſanat.

## Silphium.

Silphium, calefacit ſtrenue. Eſt autem flatuoſum, ac proinde coctu difficile, alioqui tamen extra corpus

efficatius,

www.libtool.com.cn



efficacius, & omnium potiſsimum liquor, admodum trahentis potentiæ. Habet quiddam etiam excreſcentias amoliendi.

## Siſon.

Siſon, calidus & concoctiuus eſt, adeo, ut & urinas & Menſes moueat. Viſcerum quoque obſtructiones apperit.

## Siſaron.

Siſari radix cocta, ſtomacho ſalubris eſt, ſed & urinas quoq; propellit, calida iuxta ſecundum ordinem, fortaſſe quia partium eſt tenuium, & digerit facile. Semen tamen ualentius eſt, propter quod torminoſis cum uino datur.

## Siſymbrium.

Siſymbrium, quod & cardamomum uocant, propterea quod cardamo ſimile eſt. Siccum quidem calfacit & areſacit & areſacit in primo ordine, Humidum uero in ſecundo.

## Scammonia.

Scammonia, calidæ, & digerentis, & detergentis bilioſorum humorum potentiæ eſt. Tum maxime ſuccus qui phymata diſijcit, & embria occidit appoſitus. Adhæc & lepras exigit, & ἐπίβρεγμα inueteratos capitis dolores, infuſa in aceto roſaceo, mitigat. Radix tũ per ſe ipſam, tum etiã decocta pota, aluum deijcit. Cum aceto & hordeacea farina fricta, coxendicis doloribus emplaſtri modo imponitur.

www.libtool.com.cn


## Scandix.

*Scandix, agreſte eſt holus, calidum & ſiccum in ſecundo ordine, uires inciendi habet, & ab inteſtinis oppilationes ammouendi.*

## Scincus, terreſtris Crocodilus.

*Quæ ſcinci renibus adiacent, ad cupidinem inflammant, quam ſubinde extinguit lactucæ ſemen cum aqua potum, & lentium decoctum cum melle.*

## Scilla.

*Scilla, inciſoriæ eſt facultatis, calefacitq́; & ſiccat in ſecundo gradu, præſtat autem aſſam aut coctam ſumere.*

## Scolopendra marina, uel Centipes.

*Scolopendra marina, cocta in oleo, & illita, piloſas corporis partes glabras facit. Eadem manibus tractata, pruritum facit.*

## Scolopendrion.

*Scolopendrion, ipſum eſt Adplenion.*

## Scolimon.

*Scolimon, calefacit & exiccat in ſecundo ordine. Radix copioſam, eamq́; male olentem urinam eijcit, ſi quis coctam cum uino biberit. Axillarum quoq; & totius corporis uiroſos odores ſanat.*

## Scordion.

*Scordion, ex diuerſis conſtat potentijs, ſiquidē amarum eſt, & acerbum, & acre. Quamobrem purgat, ſimul etiam calefacit inteſtina. Vrinas quoq; & Menſes*

*agit*

www.libtool.com.cn



egit. Refrigerata omnia calefacit, præterea & uulnera conglutinat, atq; à ſordibus repurgat. Ad poſtræmum etiam ad cicatricem perducit, aridū ſcilicet impoſitum.

## Scorodon.

Scorodon, calefacit & ſiccat in quarto ordine. Cæterum ophioſcorodon, id eſt, agreſte allium, domeſtico ualentius eſt.

## Scorodopraſon.

Scorodopraſon, & guſtu & potentia mixtum eſt, ab allio & praſo diuerſum.

## Scorpioides.

Scorpioides, calefacit in tertio exceſſu, & areſacit in ſecundo.

## Scorpius terreſtris.

Scorpius terreſtris, crudus ſuperimpoſitus, ſuiipſius plagæ & ictus, remedium eſt.

## Scoria.

Scoria quælibet uehementer exiccat, maxime uero ferri, quæ decocta, & ſubinde ad liuorem redacta, ſaniem ſtillantes aures, mirabiliter ſanat. Auxiliatur & his qui aconitum biberunt, cum oximelite pota.

## Scoria plumbi.

Plūbi ſcoria, aßimilatur plūbo, ſed magis adſtringit.

## Smilax.

Smilax, quæ & Cactos, arbor eſt deleteriæ potentiæ, id eſt, uenenoſæ.

Smyrna

www.libtool.com.cn


## Smyrna, Myrrha.

*Smyrna, ſecundi eſt ordinis calefacientium & areſacientium, proinde cataplaſmate impoſita, capitis uulnera glutinat.* Habet *quiddam etiam amarum, quo nimirum uermes necat, & embria conficit. Quadamtenus etiam abſtergit, ophthalmicis facultatibus miſcetur.* Et *quæ circa thoracem ſunt, mundificat, ſine tamẽ arteriæ exaſperatione.*

## Smyrna, Beotia.

*Smyrna* Beotia, *uim habet calefaciendi calidam, molliendi & diſſoluendi.*

## Smyrnium.

*Smyrnium, quod alij* Hippoſelinon, *alij* Selinon *agreſte adpellant, calefacit & ſiccat in tertio ſtatu.* Eſt *autem apio fortius, & petroſelino imbecillius,* Menſes *& urinas agit.*

## Sonchus, Cucurbita ſyluestris.

*Souchos, ſi cataplaſma imponatur, manifeſtarie ſtringit atq; refrigerat.* Arefactus *mediocriter excalfacit.*

## Sparganion.

*Sparganion, areſacientis & hoc potentiæ.*

## Spartum, Se.

*Spartum, quo uites adalligant.* Huius *fructus unà cum flore potus cum melicrato, obolorum quinq; menſura, purgat per ſuperna, ueluti helleborus albus, ſine moleſtia.* Porrò *fructus ſcorſum per inferna tantum.* Virgulæ *iſchiadicis medicantur.*

Spongos

www.libtool.com.cn



## Spongos, Spongia.

*Spongia recens, & quæ maris adhuc odorem retinet, impoſita cum aqua, uel uino, uel oxicrato, uulnera conglutinat. Vſta autem, acutæ & digerentis fit potentiæ, & cum aſphalto, uel liquida pice exarefacta, hæmorrogias ſiſtit.*

## Spodion.

*Spodion, eiuſdem facultatis eſt cum pompholygi.*

## Staphilinos, Paſtinaca.

*Paſtinaca & urinas mouet, & Menſes urget, potiſsimum ſemen & radix. Folia recentia, abſtergentis potentiæ cum ſint, phagedænicis hulceribus cum melle congruunt.*

## Paſtinaca agreſtis. Daucus.

*Paſtinaca agreſtis, ad omnia, domeſtica ualentior.*

## Stachis.

*Stachis, marrubio ſimilis, frutex calefacit in tertio ordine, proinde Menſes exigit, embria interficit, & eijcit ſecundas.*

## Steata, Adipes.

*Adipes omnes humectant, & calefaciunt humanum corpus, idq; ſecundum temperamentum animantium, ex quibus deſumpta ſunt potentia, uariant.*

## Adeps ſuillus.

*Adeps ſuillus, omnium maxime humectat, potentia non admodū diſtans oleo. Quamobrem morſus omnes retundit ac hæbetat.*

Adeps

www.libtool.com.cn



## Adeps Caprarum.

*Adeps Caprinus ſiccior eſt, & citius denſatur, propter quod recte inteſtini torminibus inijcitur.*

## Adeps Anſerinus & Gallinaceorũ.

*Anſerinus adeps admodum calet, eſtq; magis partium tenuium, poſt hunc & gallinaceorũ, & gallinarũ.*

## Adeps Leonum.

*Omnium calidiſsimus atq; ſubtiliſsimus eſt adeps leonum.*

## Adeps Vrſinus.

*Vrſinus, capillorum defluuia explet.*

## Adeps Vulpinus.

*Vulpinus aurium doloribus medetur.*

## Adeps Viperæ.

*Viperarum adipem ferunt, ubi radicitus pilos euulſeris, prohibere illos recreſcere, ad hebetes quoq; oculos efficacem eſſe.*

## Adeps maſculi pecoris.

*Ex prædictis omnibus hoc habe, quod calidior ſemper & ſiccior eſt maſculorum animalium adeps, & horum ipſorum exectorum minus, tum calidus, tum ſiccus*

## Adeps uetus.

*Adeps inueteratus, quo diutius ſeruatur, hoc redditur calidior.*

## Stimmi.

*Stimmi, arefacit, & nonnihil etiam adſtringit, proinde ocularibus miſcetur collyrijs.*

Stoebe.

www.libtool.com.cn


## Stœbe.

*Stebes fructus & folia ſiccant in tertia diſtantia, fa cultate adſtringunt, nam uulnera prægrandia figunt. Decoctum quoq; eorum ad dyſenterias & hæmorragi as compeſcendas, item ad aures pus diſtillantes datur. Deniq; ex plaga oculorum ſuffuſiones, cataplaſmate im poſita iuuat.*

## Stoechas.

*Stoechas, ab obſtructione liberat, attenuatq;, atq; adſtringit. Inteſtina omnia, & totum adeo corpuſculũ corroborat.*

## Stratiotes.

*Stratiotes, ille qui in aquoſis naſcitur, refrigerantis eſt potentiæ. Terreſtris nonnihil conſtringit, quo fit, ut hulcera conglutinet. Sunt qui ad hæmorragias quoq; u= tuntur, & ad fiſtulas.*

## Strychnon Solanus.

*Strychnon, aliud quidem hortenſe, & æſculentum, quod adſtringit, & refrigerat in ſecundo ordine. Aliud quod alicacabon uocatur, ſimile hortẽſi, fructum ferens. qui urinas ſollicitat, uuarum acinis ſimilem.*

## Solanum ſomnificum.

*ſomnifici Solani radicis cortex, in uino drachmæ pondere potus, ſoporem inducit. Semen urinam cit, Tertij eſt ordinis, refrigerantium. Quare ſi plus quã duodecim corymbi eius bibantur, furorem facit.*

## Solanum furioſum.

*Quartum*

www.libtool.com.cn


*Quartum genus Salami intra corpus ſumptum, inu tile ac noxium, foris cataplaſmate illitum, hulcera depaſcentia ſanat, ſecūdi in refrigerando & ſiccādo ordinis.*

## Stypteria, Alumen.

*Alumen uniuerſum adſtrictiſsimum eſt, partiumq́; denſiorū. Tenuior tamen quodammodo eſt, quæ σχιστὴ dicta eſt, deinde ſtrongyle & aſtragalote. Supra modū autē ſpiſſa liquida, quæ placitis & plinthitis uocata eſt.*

## Styrax.

*Styrax, calefacit, mollit, & concoquit. Proinde tuſſes, & catarrhos, & coryzas iuuat, Menſes quoq; tum pota, tum adpoſita aduertit.*

## Syca, Ficus.

*Ficus Siccæ, calidæ ſunt potentiæ in ſecundo propemodum ordine. Pinguiores, dura tubercula magis concoquunt. Quæ uero ſunt acriores, uel acerbiores, extergunt ac digerunt. Decoctum eorum mellitiſsimus fit, conſiſtentia melli quid ſimile. Eſt etiamnum, quod Siræon appellant, potentia ſimile melli. Virides imbecilli oris ſunt ſubſtantiæ. Ambæ tamen, id eſt, tam ſiccæ, quā humectæ, uentrem ſubducunt.*

## Caprifici.

*Caprificorum Fici, acris & digerentis ſunt potentiæ, pariter & domeſticarum groſsi, quas ὀλύνθους Græci uocant.*

## Sicæ ficus arbor.

*Ficus arbor, calidi eſt temperamenti, partiumq́; tenuium*

www.libtool.com.cn


*tenuium, ueluti diuinare licet é ſucco, folijs & liquore, quæ non ſolum uehementer mordicant atq; abſtergũt, uerumetiam exhulcerant, oraq; uaſorum reſeruant, & myrmetias exterunt. Eſt igitur Cathartica.*

## Ficus agreſtis.

*Agreſtis ficus, quam caprificum nominãt, ad omnia domeſtica eſt ualentior.*

## Sycomorus.

*Sycomori fructus, male nutrit, & ſtomacho infeſtus eſt. Cæterum ſuccus arboris facultatem habet molliendi, uulnera glutinandi, & tumores diſijciendi. Et bibitur & inungitur aduerſum ſerpentum morſus. Duratos lienes, ſtomachi dolores, & in acceſſionibus febrium horrores.*

## Symphython.

*Symphytum illud, quod petræum uocant, ex contratrarijs conſiſtit potentijs. Habet namq; uim deſiccandi, qua nimirũ in thorace et renibus pus expurgat. Quandam etiam contrahendi, qua hæmoptoicos conuulſa, rapta, fluxiones rubras & enterocœlas iuuat. Et ſuper hæc omnia, habet quandam calidam humiditatem, qua ſitim extinguit & arteriæ aſperitates.*

## De Symphyto maiori.

www.libtool.com.cn



*Symphytum maius, uiſcoſum, ſtyllæ ſimile eſt, utuntur eo ad omnia, ad quæ iam dicta.*

## Sphondylion.

*Sphondylij fructus & radix acutæ ſunt & inciſoriæ potentiæ. Itaq; aſthmaticis & Epilepticis, & ictericis congruunt. Porrò radix circumraſa atq; impoſita fiſtularum callos erodit, floris etiam ſuccus inueteratis hulceribus auxiliatur.*

## Schinos Lentiſcus.

*Lentiſcus, ſecundum omnes partes eius exiccat in ſecundo ordine, complete, in calefaciendo uero & refrigerando ſymmetros, ſiue medius, adſtringit, ut tantum, ut adſtrictione ſua hypocyſtidis ſucco propius accedat.*

## Schinu Anthos. Schini flos.

*Schini flos, calefacit mediocriter, adſtringit minus, nec plane à tenuitatis natura alienus. Vnde ad mingendum medicamen eſt, menſtruaq; agit, ab obſtructione liberans, in fomẽtatione in potu & cataplaſmatis aſſumptus, magis eo adſtringit radix, quod uero florem uocant, calidius eſt.*

## Titanos Calx.

*Calx uiua, uehementer adurit, adeo ut cruſtas efficiat.*

ciat. Extincta mox quidem & ipſa eſcharam molitur, at poſt diem unũ minus, ſimiliter & carnes liquefacit. Si uero abluta fuerit atq; maxime marina aqua, digerentis potentiæ efficitur.

## Tragacantha.

Tragacantha, ſimilem gummi facultatem obtinet.

## Tragium.

Tragium, planta eſt in ſola Creta inſula, lentiſco ſimilis. Calida in tertio ordine, attractoriæ, digerẽtis & tenuium partium potentiæ, ſtipites extrahit, & drachmæ pondere ſumpta, calculos confringit, & Menſes ciet.

## De Alio Tragio frutice.

Eſt aliud Tragium hoc amarius, quod ſtolopendrio adſimilatur, & multis locũ naſcitur, adſtringit uehementer, adeo ut fluxionum affectibus conueniat.

## Tragoriganos Hircina, Origamos.

Tragoriganus, potentia origano aßimilatur, aſſumit & adſtrictionis quippiam.

## Triobolos.

Triobolos, refrigerat mediocriter, ſed terreſtris ſiccando uehemens eſt, aquatilis ſenſim refrigerat, ambo aduerſum phlegmonorũ generationes, & alias fluxiones congrunt. Porrò terreſtris fructus cum attenuantium partium ſit, in renibus lapides atterit.

www.libtool.com.cn


## Tragoſſitodes.

*Tragoſſitodes, equiparatur ziæ, minus tamen concoquit, & uentrem emollit.*

## Trigle piſcis, mullus.

*Trigle piſcis, ſæpius commeſtus, hæbetes oculos facit. Crudus conciſus atq; impoſitus, marini draconis & ſcorpij, & dracenæ ictus ſanat.*

## Tripolium.

*Tripolij radix, patentia calida eſt, & acris.*

## Triches, Pili.

*Pili uſti, qualitate, uſtis lanis ſimiles ſunt.*

## Trigon Thalaſſia, Paſtinaca marina.

*Paſtinacæ marinæ, aculeus impactus denti imbecilli, confringit eum, & excidere facit.*

## Fex Vini.

*Fex uini, ea quæ combuſta necdum eſt, cõpoſitæ eſt eſſentiæ, impenſæ deſiccans atq; obſtringens, quàm nimirum adſtrictionẽ è uino acquirit, ex quo fit. Humentia quæq; exiccat, & fluxionibus accommodatur, præterea & phygetla diſcutit, & ex uberibus lactis, ſtillicidium extinguit. Porrò uſta quàm* σφέκλην *appellitant, cauſtica fit ac proinde cauſticis etiam pharmacis permiſce-*

www.libtool.com.cn



permiſcetur. Vngues leproſos exterit cum rheſina. Cũ oleo lentiſtino integram noctem peruncto eo capillicio, capillos flauos reddit. Abluta in aqua, oculorum abſtergentibus potentijs miſcetur.

## Fex aceti.

Aceti Fex, flocibus uini per omnia uehementior eſt, magisq́; ac magis adſtringit.

## Troglodytes Paſſer.

Troglodytes Paſſer, eſt omnium auium minor excepto regulo. Degit maxime in ſepibus, quocunq́; modo utare ſiue aſſo, crudo uel condito, aut liquato, renũ lapillos atterit, ſimiliter & uſti cinis eadem præſtat.

## DE HIIS QVAE INcipiunt ab litera Y.

HYacinthi, radix bulboſa, ordinis eſt primi in exiccando, in refrigerando ſecundi. Itaq; pueros, ne pubeſcant diutiſsime ſeruare creditur, cum uino uidelicet appoſita, fructus modice abſtergit & ſtringit. Proinde arquatis datur cum uino, ſiccans quidem magis, minus uero refrigerans.

## Hyalos Vitrum.

www.libtool.com.cn



## Hialos, Vitrum.

*Vitrum, in ſubtiliſſimum puluerem contritũ, adeoq; cum uino tenui & albo potũ, in ueſica lapides confrin= gere uulgo dicitur.*

## Hydnon, Tuber Terræ.

*Hydnon, terreſtram ſubſtantiam dominantem ha= bet, cum paucula quadam partium tenuitate.*

## Hydrargyros, Argentum Viuum.

*Hydrargyros, in re medica neceſſarium non admo= dum habetur, nimirum letale, quidam adurentes, in ci= neremq; redigentes, & alijs permiſcentes ſpeciebus, colicis & ileo confectis bibendum dederunt.*

## Hydropiper.

*Hydropiper, calida eſt herba, ſed non uſq; adeo ut piper, uirens & una cum ſemine cataplaſmate impoſi ta Hypopia, & induratos tumores digerit.*

## Hyoſtiamus.

*Vterq; Hyoſtiamus, & qui nigrum, & qui flauum ſemen hebet, uenenoſus eſt, cæterum medicinæ tantum utilis eſt, qui florem & ſemen album geſtat, ex tertio ordine refrigerantium.*

## Hypericon.

*Hypericon,*

www.libtool.com.cn



Hypericon, multorũ generũ eſt, nã eſt quod Andra ſæmon, & Aſtyron uocatur, de quibus in ſuperioribus dictum eſt, calefacit uelociter & ſiccat, propter ſub= ſtantiæ partium ſubtilitatem. Quare tota herba una cum ſemine, tum Menſes tum Vrinas prouocat, folia re centia cataplaſmate impoſita, uulnera ad cicatricẽ per ducunt, arida atq; ſuperimpoſita, alia quoq; hulcera ſa nant, dantur & Iſthiadicis bibenda.

## Hypecoon.

Hypecoon, frigefacit in tertio ordinis, facultate pa= paueri adfine.

## Hypogloſſon.

Hypogloſſon, ſuccus eſt expreſſus ex radice Ciſthi & Ciſthari, uehementer efficax medicamentum ad o= mnes generis fluxiones, & exiccandũ, corporisq; mem bra confirmanda.

## Hypophæſton.

Hypophæſtos, genus eſt fulloniæ ſpinæ, quemadmo dum & Hyppophaes, colligitur ex folijs radiceq;, & capitulo eius expreſſus ſuccus, qui trium obolorũ pon= dere cum melicrato datus, aquam & pituitam purgat. Iuuat orthopnoeas & Epilepſias, & quæ in neruis eueniunt affectiones.

## Hyſſopum.

Hyſſopum, calefacit & exiccat in tertio ordine, te= nuiumq; partium eſt.

www.libtool.com.cn

# PAVL. AEGINETA

## DE HIIS QVAE IN-cipiunt ab litera Φ.

### Phaci, Lentes.

LEntes, areſaciũt in ſecundo ordine, mediæ inter caliditatem & frigiditatem. Quadam tenus quoque adſtringunt, ob eã rem corpus ipſum exiccant, aluumq́; ſiſtunt. Decoctum eorũ impellit. Ideo prior aqua profunditur, cum ad cohibendũ adhibetur.

### Phacos, Lenticula paluſtris.

Lens, quæ in paluſtribus aquæ innatat, humectat & refrigerat in ſecundo ordine.

### Phalaris.

Phalaridis ſuccus, & folia & ſemẽ pota; ueſicæ doloribus auxiliãtur. Habent enim quiddam in ſe partium tenuium, calidumq́;.

### Phalangites.

Phalangites, herba quædam ſic dicta, ab eo quod à phalangij ictis auxilietur, potentia tenuium partium, proinde torminoſos iuuare creditur.

### Phelli.

Phelli, & maxime ex uinarijs uaſis uſti inſiccißimum ſoluuntur cinerem, qui dyſſentericis potißimum miſcetur facultatibus.

### Philyras.

Philyræ arboris folia adſtringunt, modo quo & ſylueſtris

www.libtool.com.cn



ueſtris oleæ. Subacta in corpore hulcera medicantur. Porrò eius decoctum urinam & Menſes cit.

## Phlomi.

Phlomi plures ſunt, ex quibus eſt, quæ θρυαλὶς appellata eſt. Singulorum folia areſacientis, & mediocriter abſtergentis ſunt potentiæ. Vſusq́; eorum potiſsimũ ad adſtringendum. Quare fluxionum adfectibus congruunt. Sed & dentium quoq; dolorem quidẽ colluunt.

## Phœnix.

Phœnix herba, ſunt qui Rhun uocent, lolio ſimilis, facultatem habet adſtringendi, unde pota in uino auſtero, quaſcunq; fluxiones facile ſiſtit.

## Phœnix arbor.

Phœnix, tam arborem ſignificat, quàm fructum, calida eſt mediocriter, firmaq́;, & ſtomacho conueniens, ſiue intro ſumatur in corpus, ſiue deforis admoueatur. Quod reliquum eſt ex ea, adſtringit ualẽter, ſtomachicis atq; hæpaticis potentijs permiſcetur, omnium conſtrictiſsima eſt, quæ fructum ipſum ambit tunica.

## Phormion.

Phormion, ſubtilium partium eſt, extergentisq́; & attroctoriæ facultatis. Semen cum melle, albugines oculorum extenuat, & infixa extrahit.

## Phu.

Phu, Nardo ſimilem radicem habet, ſed ob pleraq́; imbecillior. Vrinas tamen propellit fortius, quàm quælibet alia.

www.libtool.com.cn



## Phycos, Alga.

Phycos, refrigerat & exiccat in ſecunda diſtantia. Habet quiddam modice acerbum.

## Phyllitis.

Phyllitis, facultatis acerbæ cum ſit, non abs re diarrhœas pota iuuat.

# DE HIS QVAE INCIpiunt ab litera X.

## Chalbanæ, Galbanum.

GAlbanum, calefacit ferè in tertia diſtantia, & deſiccat quaſi in ſecundo, potentiæ molliendi & digerendi.

## Chalcitis.

Chalcitis, adſtringentis, acutæ cauſticæ, & cruſtas generantis potentiæ eſt, partium tenuitate media inter miſy & ſori. Vſta tamen, ſubſtantiæ fit magis attenuantis.

## Chalcanthos.

Chalcanthos, aqua eſt concreta in cypri metallis, fortißimam habens adſtrictionem, cum quadam caliditate exili. Nihil æque humidas carnes condire atq; ſiccare ualit. Succeſſu temporis chalciti permutatur.

## Chalcos, Aes.

Aes uſtum, partim acre eſt, partim adſtringit, proinde utilißimmũ ad cicatrices inducendas ſiccorũ corporũ hulceribus. Quod ſi illinatur, ad omnia cõmodior fit.

## Chondrilla.

www.libtool.com.cn



*Chondrilla, ſeris ſpecies, quiddam habet ſubamarũ, quo fit, ut potentia ſit ſicciori.*

## Chondros

*Chondros, æquiparatur tritico, præterquàm quod ille habet lentoris & craßiciei.*

## Chriſocolla.

*Chriſocolla in metallis inuenitur, & præparatur in mortariolo ex ære rubeo, ex urina pueri impubis, trita ſubinde in mortariolo urina, aut certe ære calido. Sic præparata, diſcutientẽ & exiccantẽ potentiã acquirit, plus alijs metallicis. Ob eamq; rem hæpar in primis abſtergit, hulcerumq; carnes ſine mordicatione reprimit. Doloſis quoq; & maleficis hulceribus accommoda. Quod ſi aduratur, multo tenuiorem efficies.*

## Chriſocomæ

*Chriſocomæ uel Chryſites, acrẽ ſimul & adſtringentem habet facultatem. Quare non admodum multi uſus eſt in Medicinis, præterquã in peripneumonijs, & affectibus hæpaticis, quo modo in melicrato cocta datur. Commouet & Menſes.*

## DE HIS QVE INCIPIVNT *ab litera* ψ.

## Pſeudobunion.

*Pſeudobunion, facultate ſimile Bunio, calefacit, digerit, & abſtergit. Tormina itaq; & ſtrangurias, & coſtarum dolores ſoluit. Diſcutit & chœradas tum ſale uino cataplaſmate illita.*

*Pſeodo=*

www.libtool.com.cn



## Ψeudodictamum.

*Pſeudodictamum, imbecillem dictami uim habet.*

## Pſillion.

*Pſillij ſemen, ſecundi eſt refrigerantium ordinis, in ſiccando uero & humectando ſymmetron.*

## Pſoricon.

*Pſoricon ſic fit. Duplum chalcitis miſcetur lytargyro, utriſq; prius aceto ſolutis, inq; ollam nouam coniectis, deinde diebus quadraginta fimo obruitur, ſicq; pharmacum fit præparatum exiccatorum partiumq; tenuium, chælciti minus mordax.*

## DE HIS QVAE INCIPIVNT *ab litera Ω.*

## Ωcimon.

*OCimon, ex ſecundo ordine eſt calefacientium, habet uero recrementiciam quandam humiditatem. Quo fit, ut intra corpus ſumptũ, noxiũ ſit. Extra cataplaſmate illitũ, tum digerit, tum cõcoquit.*

## Ocimoides.

*Ocimoides, quam alij Phileterion uocant, radicem habet nullius frugi. Semen attenuantium partium eſt. Et ſine mordicatione exiccans.*

PAVLI AEGINETAE DE SIMPLICIBVS FINIS.

www.libtool.com.cn


# PAVLVS AEGINETA, DE RATIONE VICTVS, GVLIELMO COPO BASILIENSI INTERPRETE.

## De ciborum facultatibus

CONSEQVENS eſt, ut de ciborum facultatibus ſermonem, qui ſalubrium quoq; præceptorum pars eſt, prædictis ſubnectamus, ſi prius q̃ particulatim ipſos proſequemur, pauca quædam præmiſerimus, quippe oportet, ſi quicquam aliud, ciborum noſſe facultates. Igitur cibi, quibus extenuandi uis eſt, meatus aperiunt, humores ob nimium lentorem adhærentes, abſtergunt, craſſos incidunt & attenuant. Quod ſi diutius quis eis utatur, ſeroſas, bilioſasq; cumulabit ſuperfluitates. Atq; ſi adhuc abundantius ingerantur, melancholicum ſanguinem conſtituunt. Quamobrem aſsiduus ipſorum uſus fugiendus eſt, maxime quibus bilioſa fuerit natura. His uero dumtaxat congruũt, quibus pituita, & crudus, & uiſcidus, atq; craſſus humor cumulatus eſt. Qui uero cibi impinguandi uim

obtinent

Mo. Bot. Garden,
1893

www.libtool.com.cn


*obtinent, ij firmum præbent alimentum, atq; ſi in uentriculo, iecoreq; probe concoquantur, bonum ſanguinem generant, ſed lienem & iecur obſtruunt. Horum uero ipſorum alij craßiores humores dumtaxat faciũt, ut lens, alij uiſcoſos, ut maluæ, alij & craſſos & uiſcidos ut quibus teſta pro tegmine eſt. Igitur uictus extenuans ad bonam ualetudinem tuendam, multo tutior eſt eo, qui craßitudinem inducit. At quia exiguum alimentũ præbet, nihil uel firmitudinis, uel roboris, corpori præſtat. Itaq; ubi indigentia aliquem preßit, cibus in quo plurimum alimenti eſt, modice exhibendus eſt, ſed præcipue illis citra noxam datur, qui exercitationi operam dant, & qui quantum libuerit, dormiunt. Quicunq; uero ante cibum exercitari non poſſunt, alimenta quæ craſſos ſuccus faciunt, fugere debent. At neq; in ocio degentes, huiuſcemodi cibos admittant. Porrô ut perpetuum ocium bonæ ualetudini maxime aduerſatur, ita mediocris motus ſummo præſidio eſt.*

*Mediæ uero materiæ alimenta, omnium præſtantißima ſunt, utpote quæ mediocris ſubſtantiæ ſanguinẽ producunt. Atq; ut huiuſcemodi edulia corporibus noſtris commodißima ſunt, ita uicioſum ſuccum generantia, maxime noxia, ſemperq; fugienda ſunt.*

*Summopere uero uitanda eſt alimentorum uarietas, præcipue ubi contrariæ fuerint eis facultates, nam quæ ſic ingeruntur, coctioni reſiſtunt.*

De oleribus

www.libtool.com.cn



## DE OLERIBVS.

### Lactuca.

LActuca, manifeſte refrigerat & humectat, atq; idcirco ſomnum quoq; allicit. Vt uero ex oleribus ipſa maxime nutriendi uim habet, ita optimi ſucci ſanguinem facit.

### Intubus.

Intubus refrigerandi, humectandiq́; uim obtinet, at Lactuca inferiorem.

### Malua.

Malua refrigerat quidem, ſed obſcure, magis uero humectat, atq; ob uiſcoſitatem aluum ducit.

### Beta.

Beta, abſtergendo aluum mouet, unde ſi crebro edatur, ſtomachum uellicat, atq; iecur & lienem obſtruit.

### Braſſica.

Braßica, bis quidem cocta, commeſtaq́;, uentrem cohibet. Si uero ſemel, neq; admodum coquatur, atq; ex oleo, & garo, aut ſale edatur, ducit potius aluũ, quemadmodum ius eius purgandi poteſtate lentium cremore præſtantius eſt. At manifeſtius magisq́; uentrem mollit, marina Braßica, nam & ſalſa, & ſubamarulenta eſt, quapropter auroni quoq; ſubducendi aluum poteſtas eſt, eò quòd plurima ſalſedine participat. Braßica uero ſtomacho magis conuenit, utpote quæ mediocrẽ obtinet adſtringendi uim, ac lac quoq; & genitale ſemẽ ꝓducit.

Blitum

www.libtool.com.cn


## Blitum.

Blitum & atriplex, humore quidem abundant, ſed exiguum alimentum præbent.

Omnia aculeata, ut cardus, & fuſus agreſtis, atq; alia huiuſcemodi, ſtomacho idonea ſunt, excepta cinara, quæ & dura eſt, & mali ſucci, ideoq; cocta cũ oleo, & garo, & coriandro, exhibenda eſt.

## Appium.

Appium, hippoſelinon, Sion, Smirnium, urinæ cienda facultatem habent, ſed Smirnium & magis odoratum, & acre eſt, & urinam & menſtrua mouet. Appia uero ſuauiora ſunt, ideoq; ſtomacho aptiora.

## Eruca.

Eruca calida eſt, & genitale ſemen producit, unde & libidinem excitat, atq; capitis eam doloris ſpeciem, quam cephalæam uocant.

## Naſturcium.

Naſturcium, ocymium, ſinapi, calida ſunt & acria, & præcipue naſturcium, ſunt uero coctu difficilia, ſtomacho inepta, & mali ſucci.

## Vrtica.

Vrtica, tenuibus conſtat partibus, aluum ducit, atq; exiguum alimentum præbet.

## Gingidion.

Gingidion, ſimile ſcandici eſt, haud parum ſtringentis, amarulentæq; qualitatis habens, ſtomacho aptum, ut faſtidioſis quoq; aptũ ſit ex aceto mãſum, ſed corpus

parum

www.libtool.com.cn


parum alit. Quæ uero ſylueſtria alera uocantur, ad uicioſorum humorum generationem nihil reliqui faciūt.

## Capparis.

Capparis, & appetentiam excitat, & iecoris lienisq; obſtructiones ſoluit, ac pituitam educit, ſumenda uero eſt in prima menſa uel ex oxymelle, uel ex oleo & aceto.

## DE CYMARVM natura.

## Blicorum.

BLicorum, lactucarum, atriplicis, maluæ, betæ, planta quidē humida eſt. Cyma uero arida, rapa, ſinapi, radicula, naſturcium, pyretrum, Braßica aliaq; calida, plantam quidē aridam habeāt, cymam uero humidam. Fructicoſarum uero plantarū Cymæ, & quæ in paludibus & quæ in ortis naſcuntur. Itē quæ à brionia decerpuntur, ſtomacho quidem apete ſunt, & urinam mouēt, exiguum uero alimentum præbent, quod ſi probe concoquantur, magis quam quæ ab oleribus ſumuntur alunt. Similiter de Chamedaphnes Cyma ſentiendum eſt.

## DE RADICIBVS quæ cibi rationem obtinent.

## Bunias.

www.libtool.com.cn


Bvnias quidem & Rapa, ſi bis coquantur, haud minus reliquis oleribus alũt, ſed ſi iugiter aſſumantur, craſſum humorem conciliant.

## Bulbi.

Bulbi aſtringunt, abſtergunt, appetentiam excitant, ſtomacho robur addunt, & uiſcoſos ex Thorace humores educunt, quod ſi bis coquantur, plus quidẽ alimenti præſtant, ſed nihil educunt. Nam quod amarum in ipſis eſt, ita abijcitur, præterea ſi crebro quis eis utatur, genitale ſemen augent, & Venerem impendio excitant, flatus quoq; faciunt & tormina. At ex garo & oleo ſumpti, ſuauiſſimi ſunt, & boni alimenti, atque coctu faciles.

## Paſtinacæ.

Paſtinacæ, dauci, ſiſeris, radices, rapis minus alunt, ſunt uero calidæ odoratæq́;, atq; urinam mouent. Abutentibus uero & coctu difficiles ſunt, & uiciatos humores pariunt, pro communi radicum ratione.

## Agreſtis paſtinaca.

Agreſtis paſtinaca, à nonnullis Daucus appellatur, & maiorem citandæ urinæ uim habet.

## Radicula.

Radicula attenuatoriæ, calfactoriæq́; facultatis eſt, ſed ante alios cibos ex oleo & garo ducendæ alui gratia, ſumenda eſt, poſt cibum autem nequaquam,

Cepa,

www.libtool.com.cn



## Cepa, Allium, Porrus.

*Cepa, Allium, Porrus, ampelopraſſon, eo quod acri ſunt potentia, corpus calfaciunt, atq; craſſos in ipſo humores attenuant & incidunt, & his quidem cocta paulum, incocta uero nihil alimenti præſtant. At uero alliũ opilationes ſoluit, & diſcutiẽdi magis uim obtinet. Ampelopraſſa autem, utpote agreſtia ſicciora ſunt.*

*Porrò in uniuerſum omnia cruda olera, coctis peioris ſucci ſunt, magisq; ſuperfluo humore abundant. Quæ uero uel muria, uel oxyhalme condita reperiuntur, ſtomacho aptiora ſunt, & appetentiam magis mouent, ac crudos humores incidunt, ſed coctu difficilia ſunt, & ſi quis eis abutitur, malos ſuccos producunt.*

# DE TVBERIBVS.

## Tuberum ſuccus.

*Tuberum ſuccus, etſi nullam notatu dignam, qualitatem præ ſe ferat, frigidus tamen eſt craſſusq́;.*

## Fungi.

*Fungi & frigidi ſunt, & pituitoſi, & mali ſucci. Ex his boleti, innocentiores ſunt, & manifeſtæ qualitatis expertes, ſi recte coquantur. Deinde ammanitæ ab ijs ſecundũ locum obtinent. Ab alijs uero fungis abſtinere oportet, quippe cum multi ex ipſis letiferi ſint, ac ipſi quoq; boleti, niſi percocti edãtur, præſens periculum ſæpenumero minantur.*

# DE FRVMENTACEIS.

www.libtool.com.cn


EX eis quæ frumentaces appellantur, Chondrus menſis conuenit, & uiſcoſum humorem parit. At qui ablutus uicioſus eſt, eo quod facile craſſus euadit, atq; incoctus permanet. Melior uero eſt ſuccus ipſius, ſi totus uti ptiſana probe coquatur.

## Alica.

Alica, in reliquis quidẽ chondro haud abſimilis eſt, ſed magis aluum ſupprimit.

## Triticum.

Triticum, elixum quidem coctu difficile eſt, & inflat, ubi uero concoctum eſt, ualentiſſimam præbet alimoniam. At in panem redactum, inflandi uim, & concoctionis difficultatem deponit, utpote fermento, ſaleq; participans.

## Siligineus panis.

Siligineus panis, quem ſiligitem Græci uocant, omni alio magis alit.

## Similaceus.

Mox Similaceus, ſic enim ſemidaliten interpretor, deinde cibarius, Græci ſyncomiſton dicunt. Sordidus autem, id eſt, furfureus, minus quidem alit, ſed magis p uentrem deſcendit. Amylus panis exiguum alimentum præbet, quemadmodum & lotus.

## Hordea.

Hordea refrigerandi, abſtergendiq; uim obtinent,

cum

www.libtool.com.cn


*cum uero ad modum ptiſanæ. Coquuntur, humectant, fricta uero ut in polentis fit, deſiccant. Polenta per æſtatem ante palueum ex aqua potui data, ſiti medetur.*

## Hordeaceus panis.

*Hordeaceus panis, imbecillior eſt, & exigui alimenti.*

## Maza.

*Maza, coctu difficilis eſt, & magis hordeaceis panibus inflat, cui ſi mel quoq; acceſſerit aluum mouet.*

## Bromus.

*Bromus, callidus eſt, & exigui alimenti.*

## Milium.

*Milium, & panicum, frigida ſunt & ſicca atq; parum alunt, & uentrem cohibent. In totum uero, miliũ præſtantius eſt panico.*

## Oriza.

*Oriza, coctu difficilis eſt, parum alit & uentrem aſtringit.*

## Ptiſana.

*Ptiſana, ſic coquitur, uni eius parti, aquæ quindecim, atq; paulum olei adijce, ac poeſt bullinationem acetum quoq;. Cum uero exacte iam cocta fuerit, ſalem tenuem. Sunt qui porrum quoq; atq; anetum addant. Cæterum Bromus & Chondrus, haud aliter quam ptiſana præparantur.*

www.libtool.com


## DE LEGVMINIBVS.

### Lens.

Ex leguminibus lens quidem mali ſucci eſt, & atram bilem parit, uentrem aſtringit, maxime bis cocta. Decoctum uero ipſius cum oleo & garo potui datum, aluum mouet. At quia flatum parit, uel ſatureia, uel pulegium adijciendum eſt.

### Fabæ.

Fabæ lenes ſunt, & inflant, ac abſtergunt, ac Aegyptia faba, & calidior eſt noſtra, & ſuperfluitates plures relinquit.

### Piſum.

Piſum, molle quidem eſt, atq; non adeo inflat.

### Cicera.

Cicera inflant, abſtergunt, genitale ſemen augent, Venerem ſimulant, calculum terũt. Ac fricta flatũ quidem amittunt, ſed difficulter concoquuntur.

### Lupina.

Lupina, ſunt coctu difficilia, haud facile tranſmittuntur, & ſuccum crudum pariunt.

### Fœnum Græcum.

Fœnum Græcum, ante cibum aſſumptum, & calefacit, & aluum ſoluit.

### Ciceræ Faſeli.

Ciceræ faſeliq;, ſi macerentur donec radices proueniant, atque ex garo ante cibum ſumantur, uentrem ſubducunt,

www.libtool.com.cn


*ſubducunt, atq; magis quàm fœnum Græcum alunt.*

## Faſeli, Siliquæ.

*Faſeli tamen, quæ & ſiliquæ appellantur, ſi integri cum ſiliquis, uiridesq́; ingerantur, plures ſuperfluitates cumulant.*

## DE TEMPORARIIS *fructibus.*

### Cucurbita.

*Cucurbita refrigerat, humectatq́;. adq́; aluũ mouet, ſed paulũ alimẽti præbet.*

### Pepon.

*Pepon, in totum & mali ſucci eſt, & frigidus humidusq́;, ac uomitionem mouet, quod ſi non concoquatur, choleram inducit, eius ſemen urinam ciet, calculos renum conterit, & in totum uehementer abſtergit.*

### Melopepon.

*Melopepon, omnia quæ de pepone dicta ſunt, imbecilliora obtinet.*

### Cucumis.

*Cucumis, minus quidem pepone refrigerat, humectatq́;, ſed uehementius urinam ciet, & uix concoquitur, quod etſi conſequitur, mali tamen ſucci eſt.*

*Atq; in ſumma, omnes autumnales fructus, refrige-*

www.libtool.com.cn


rant, & humectant, & ſunt exigui alimenti, & mali ſucci.

## DE ARBORVM fructibus.

### Ficus, Vuæ.

Ficus & Vuæ, inter omnes fructus autumnales præcipuũ honorem obtinent, utpote quorum ſuccus, & minore uicio participat, & magis alit. At Ficus Vuis ſunt ſucci multo melioris, atq; magis alunt. Aluũ mouent, urinam cient, renes purgant, maxime quæ fuerint admodum maturæ.

### Caricę.

Similiter & Caricæ, flatum tamen & improbum ſanguinem faciunt, atq; iccirco, ſi in crebro uſi fuerũt, pediculos pariunt.

### Vuæ.

Vuæ, recentæ quidem non concoquuntur, & malũ ſuccum reddunt, per aluum uero deiectæ, moderatiores euadunt.

### Vuæ paſſæ.

Vuæ paſſæ calidiores, ſunt, ſtomachoq; aptiores atq; reliquis uuis magis alunt, ſed minus aluum ſoluunt.

### Mora.

www.libtool.com.cn


*Mora uehementer humectant, mediocriterq́; refrigerant, atq; in prima menſa aſſumpta, uentrem molliunt, haudquaquam ſtomacho aliena, ſed parū alunt.*

## Ceraſea.

*Ceraſijs, dulciora quidem aluum citant, at ſtomacho noxia ſunt. Acerba uero ut ſtomachum magis ſolantur, ita minus molliunt aluum. Atq; eadem ratio tum in uuis & moris, tum in alijs multis obſeruatur.*

*In totum uero, aſtringencia ſiue edantur, ſiue bibantur, ante alium cibum, aluum cohibent. Quibus uero uenter ob imbecillitatem nihil deijcit, ij aliquid quod molliendi facultatem habeat, ueluti altera, aut piſces, aut aliud huiuſcemodi præmittere debent. Deinde aſtringentia ſumere, quæ aluum roborantia, deorſum impellant, atq; ad ſecretionem excitent.*

## Nux pini.

*Nux pini, boni, craßiq́; ſucci eſt, atq; eſui apta, ſed non facile concoquitur.*

## Perſica.

*Perſica mali ſucci ſunt, aceſcuntq́;, & facile corrumpuntur, ideoq́; in primis ſunt exhibenda, ut & protinus deijciantur, neq; propter moram in uentriculo corrumpantur.*

## Præcocia & Rhodacina.

*Præcocia uero, & rhodacina, & armenia, perſicis*

www.libtool.com.cn


*cis meliora ſunt, neq; enim aceſcunt, neq; ſimiliter cor=rumpuntur, ac ſunt etiamnum delectabiliora.*

## Poma.

*Pomorum, ſuauia quidem reliquis ſunt calidiora, & facile tranſmittuntur, præcipue ſi uel aſſentur, uel elixentur. Acida autem, ut frigidiora ſunt, ita humo=res in uentriculo magis incidunt. Aut auſtera, ſtomacho quidem robor afferunt, & uentrem cohibent, ſed ma=xime Cydonia.*

## Pira maiora.

*Eiuſdem poteſtatis ſunt pira maiora atq; matura, ſed plus alimenti præbent.*

## Mala Punica.

*Mala Punica refrigerant, aluntq́; parum.*

## Meſpila Sorba.

*Meſpila, ſorbaq́;, magis aſtringunt, ideoq́; fluenti al uo idonea ſunt.*

## Palmæ.

*Palmæ, niſi admodum pingues fuerint, ſtomacho quidem conueniunt, ſed aluum ſupprimunt, atq; craſ=ſos uiſcoſosq́; humores pariunt, & capitis dolorem in=ducunt.*

*Ex oliuis druppæ quidem, ſtomacho alienæ ſunt, & craßi ſucci. Colymbades uero, & quæ in muria ſeruatæ ſunt, in prima menſa aſſumptæ, appetentiam augent, aluum citant, atq; id magis, ſi uel aceto, uel oximelle condiantur.*

www.libtool.com.cn


## Nux iuglans.

*Nux iuglans, auellanis minus alimenti præbet, ſed ſtomacho magis conuenit.*

## Nuces recentiores.

*Nuces recentiores humidæ ſunt, atq; aluum mouẽt, Aridæ uero, ſi in aqua maceratæ ab interno putamine mundentur, haud minorem uiridibus habẽt efficaciam.*

## Amygdalæ.

*Amygdalæ, incidendi, attenuandiq́; uim habent, unde & uiſcera, & thoracem purgant, maxime uero amaræ.*

## Piſtacia.

*Piſtacia, haud diſsimili ſunt poteſtate, ſed in leuanda iecinoris obſtructione, ſunt præſtantiora.*

## Damaſcena.

*Damaſcena, ante cibum ſumpta, ſiue cruda, ſiue ex mulſo cocta, aluum ſoluunt.*

## Syriaca.

*Syriaca, haud facile concoquuntur, ſtomacho aliena ſunt, & leuis alimenti.*

## Syliquæ.

*Syliquæ, concoctioni renituntur, uentrẽ aſtringunt, & ſunt mali ſucci.*

## Sycomora.

*Sycomora, manifeſte refrigerant, humectantq́;.*

## Citrei mali,

Citrei

www.libtool.com.cn


Citrei mali externa pars acris eſt, quæ uero ueluti carnis ſpeciem præ ſe fert, licet eſui ſit idonea, uix tamen concoquitur. Id uero quod intus continetur, ſiue acidum, ſiue aqueum fuerit, uehementer infrigidat.

## Glandes.

Glandes, frumentaceis haud minus alunt, ſed concoctu difficiles, & craßi ſucci ſunt, atq; tarde tranſmittuntur.

## Caſtaneæ.

Caſtaneæ, omni ex parte glandibus ſunt meliores.

## DE ANIMALIBVS, ET PRIMO De Volatilibus.

IMbecilius alimentũ præbent aues, quã quadrupedes, præſertim quàm ſues, ſed concoctum facilius. Maxime Perdix, Attagena, Columbinus, pullus, gallinæ, Phaſianæ. At ex turdis, merulis, paruis paſſeribus, in quo genere pyrgitæ quoq; ſunt, ſolidius alimentum eſt. Idq; magis ex turturæ, palumbo, anatæ, ſed multo durius, & coctu difficilius, atq; fibr fere refertum, quod ex pauone accipitur. Anſeris uero & ſtrutocameli caro, omnibus quas diximus, plures relinquunt ſuperfluitates, difficilius concoquitur, demptis alis, quæ ſucci bonitate cæteris auibus haud inferiora ſunt. Grues, fibris plenum durumq; alimentũ præbent.

In totum

www.libtool.com.cn

Intotum uero, iuniores aues ueteribus ſunt humidiores, coctu faciliores, alimenti ualentioris, atq; per aluum facilius deijciuntur. Simili diſcrimine elixæ ab aßis, & in ſartagine frictis diſtinguuntur. Item quæ in aridis locis, montibusq; degunt, paluſtribus, & facilius concoquuntur, & ſuperfluitatibus minus redundant.

## DE OVIS.

GAllinarum, phaſianarumq; oua, omnium optima ſunt. Anſerũ uero & ſtrutocamelorum inutilia. Multo autẽ præſtantiora ſunt recentia ueteribus. Atq; ut magis alunt trementia, ita ſorbilia melius deſcendunt, atq; gutturis aſperitates leniunt. Reliqua omnia coctu difficilia ſunt, & uix tranſmittuntur, exceptis ſuffocatis, quæ quidem cruda ex garo, uino, & oleo diluta, in diplomate modice inſpiſſantur, ſic enim & boni ſucci, & coctu facilia redduntur. Fricta autem in ſartagine omnium peßima ſunt.

## DE PEDESTRIBVS animalibus.

### Suillæ carnes.

EX quadrupedibus, ſuillæ carnes omnium aliorum eduliorum ualentißimi ſunt generis, quippe quæ & ſapore & odore familiarem quandam proprietatem ad humana corpora

referunt

www.libtool.com.cn


referunt, ut à nonnullis, qui imprudentes, carnes huma nas deguſtauerunt, deprehenſum eſt. Alimentum uero quod ex ipſis contrahitur & glutinoſum eſt, & haud facile diſsipatur.

## Ouilla caro.

Ouilla caro ſuperfluitatibus redūdat, maliq́; ſucci eſt.

## Capræ. Hirci.

Capræ, nutrimentum præbent acre & mali ſucci, peſsimum uero hirci, quippe quod non ſolum mali ſucci eſt, uerum etiam concoctioni reſiſtit.

## Bubula caro.

Bubula caro atram bilem parit.

## Lepores.

Lepores, craſsi ſucci ſunt, ſed in hoc à bobus & ouibus uincuntur.

## Cerui,

Cerui, duram, coctuq́; difficilem præbent alimoniam. In ſumma uero, recentiora omnia ueteribus humidiora, molliora, & coctu faciliora ſunt. Similiter caſtrata, iјs quibus integri adhuc teſticuli ſunt, atq; corpulenta gracilibus.

## DE PARTIBVS Animalium.

## Extremæ partes.

Extremæ

www.libtool.com.cn


EXtremæ partes neruoſæ ſunt, ac pinguedinis carniſq́; expertes. Vnde & glutinoſæ ſunt; & alimenti exigui, atq; aluum mouent. Excipiuntur aues, propter abundantē ariditatem.

## Aures.

Aures, roſtraq́;, cartilaginoſa ſunt, & haud facile concoquuntur.

## Lingua.

Lingua laxa, exanguis, & exigui alimenti eſt.

## Glandulæ.

Glandulæ ſuaues ſunt, atq; laxæ, præcipue mammarum, ſed maxime ſuillæ, dum uidelicet lacte replentur, ac ne minoris quidem alimenti ſunt, quàm carnes.

## Renes. Teſticuli.

Renes, teſticuliq́;, mali ſucci ſunt, & coctu difficiles.

## Gallorum ſaginatorum teſtes.

Atqui Gallorum ſaginatorum teſtes & ſuaues ſunt, & probum alimentum corpori præbent.

Contra, Taurorum, hircorum, & arictum, coctu difficiles, & mali ſucci ſunt.

## Cerebrum.

Cerebrum pituitoſum, craſſi ſucci, tardi tranſitus, coctu difficile, ſtomacho alienum, atq; nauſeoſum eſt. Vbi uero probe concoctum eſt, ſatis alimenti præbet.

spinalis

www.libtool.com.cn


## Spinalis medulla.

*Spinalis medulla pinguis eſt, & ſuauior cerebo, ſed in reliquis ei ſimilis.*

## Cor, Iecur.

*Cor, iecurq́;, craßi ſucci ſunt, coctu difficilia, & tardi meatus. Atq; ſuillum hæpar cæteris melius eſt.*

## Lienis.

*Lienis mali ſucci eſt, & atram bilem parit.*

## Pulmo.

*Pulmo, ut utrisq́; laxior eſt, ita coctu facilior, ſed pituoſus eſt, & minus alit.*

## Ventriculus, Vterus.

*Ventriculus, uterus, inteſtina, dura ſunt, uix concoquuntur, atq; pituitam gignunt.*

## Sylueſtria animalia.

*In uniuerſum uero ſylueſtria animalia, cicuribus alimentum præbent aridius, minusq́; ſuperfluitatibus redundans.*

## Sanguis.

*Sanguis omnis difficulter concoquitur, præcipue ſi craſſus ac melancholicus eſt, ueluti bubulus.*

www.libtoo.com.cn


## Leporinus ſanguis.

*Leporino uero ſanguini utpote ſuauiſſimo, præcipuus honor eſt. Hūc nonnulli cum ipſo iecinore coquere conſueuerūt, ac alij cum reliquis quoq; uiſceribus. Sunt etiam qui iuuenis porcelli ſanguinem edunt. Homerus uero, caprinum ſanguinem nonnullos commediſſe poſteritati tradidit.* Homerus.

## DE LACTE.

*LAc coctum, alit quidē corpus, ſed gingiuis, dentibusq; nocet, quapropter poſteaquam ingeſtum eſt, primum mulſo, mox uino acerbo os abluere oportet. Cæterum capiti dolorem adfert, præcordia uentriculumq; inflat, atq; in renibus calculum generat. Igitur ut id quod dilutum magis eſt, minus quidem alit, plus uero citat aluum, ita e contrario, craſſius, ualētius quidem alimentum præbet, ſed non facile deſcendit.*

## Caprinum lac.

*Porrò caprinum lac, mediocris eſt ſubſtantiæ, ouillum craſſioris. Præterea protinus à partu tenuius eſt, tractu uero temporis craſſius, deteriusq; efficitur.*

## QVID OBSERVANdum ſit, lac potantibus.

www.libtool.com.cn



QVi lac potare uoluerit, ab alijs cibis abſtinere debet, quouſq; conſequatur, ac per inferiora decedat. Igitur præſtat ipſum recens mulctum in matutino bibere, dein ieiunare, atq; tũ uehementes labores uitare, acceſcit enĩ ſi quis laborauerit, ac ſatius quoq; eſt leniter deambulare, atq; uigilem cõquieſcere. Sane ita facienti, primũ quidem per aluũ ſubit, ideoq́; poſt deiectionẽ aliud bibendũ eſt, atq; ſi hoc quoq; ad ſeceſſum ſubierit, aliud. In primis enim utiliter purgat, nõ ita multũ quidẽ uniuerſæ molis, ſed ea duntaxat quæ in uentre continentur, mox uenas ingreditur, atq; optime nutriens haudquaquam deijcitur. In bilioſis uero fluxionibus atq; ubi uẽtriculum eliquari timuerimus, coctum lac exhibendũ eſt, atq; ſic ipſum coquere oportet. In primis quidẽ ſenſim paulatimq́;, ut & pars quædam abſumatur, & pars concoquatur, deinde magis atq; magis coquere. Cauendum uero ut neq; aduratur, neq; in caſeum coaguletur, idq́; optime fiet, ſi leniter ipſum coxerimus, & miſcendo id quod abſceſſerit, undiq; detraxerimus. Igitur ferula polita, tenuiq́; miſcere oportet, & ſi quid in labijs aulæ feruet, id ſpongia purgare. Hoc enim ſæpenumero reliquum lac corrumpit. Ergo coquendum eſt lac ut diximus, donec æquabiliter craßius, & crudo lacte dulcius euadat. Præterea quod in lacte tenue ſeroſumq́; eſt conſumitur, ſi calculi marini ex igne candentes in ipſum demittantur, idq́; aluo

fluenti

www.libtool.com.cn


*fluenti, maxime ſi bilioſa fuerint excrementa eximie prodeſt.*

## DE LACTE Schiſto.

S*Erum lactis à caſeo diſcernitur, ſi uehementer ad multum fumum coquatur. Deinde exacte uel per linteum, uel per pannũ colctur. Miſcetur at ſeroſæ parti, uel mellis uel oximellis, uel ſalis modicum, atq; ut aluum ſubducat datur, adultis quidem ad ſextarios duos, iunioribus uero haud minus ſextario. Quod uero marinorum calculorum, aut ferri ex igne candentis demiſsione incraſſatum eſt lac, dyſenteriæ, & alui profluuio haud mediocre præſidium eſt.*

## DE CASEO.

C*Aſeus omnis acris eſt, ſitim excitans, coctu difficilis, mali ſucci, calculum gigneus. Innocentior uero eſt, qui recens eſt, laxus, mollis, ſuauis & modico ſale conditus, qui uero aliter efficitur peſsimus eſt.*

## DE PISCIBVS

C*Onſtat omnes piſces frigidiori humidioriq; temperatura eſſe. At qui ſaxatiles uocantur, cæteris ſunt meliores, quippe co*

www.libtool.com.cn



ctu faciles ſunt, boni ſucci, atq; modice humectant, niſi dura fuerit eis caro. Non ſaxatilium autem, in pelago degentes, multo diſcrimine differunt ab ijs, qui in limo nutriuntur, aut qua flumina irruunt, ſed omnium peßimi qui uel in ſtagnis uel paludibus aluntur.

## Capito, Lupus.

At particulatim Capito quidem, ſi in pelago deguerit, modice ſuauis eſt, ſanguinem uero præbet & tenuiorē & imbecilliorē. Huic haud abſimilis lupus eſt.

## Mullus.

Ac in æquore quoq; mullus uerſatur, cæteris piſcibus & durior & fragilior, coctu facilis, menſis idoneus, prædulcis, pinguedinis expers.

## QVIBVS TESTA pro tegmine eſt.

Piſcium genera quæ teſta integuntur, omnino ſalſum crudumq; humorem pariunt. Horum oſtrea quidem mollißima carne ſunt, & magis aluum ducunt, Chamæ uero & purpuræ & ungues & ſpondyli, & buccina & cochleæ, atque huiuſmodi alia dura, ac quæ cruſtata quoq; nominātur, ut Grammarij, Paguri, Cancri, Locuſtæ, Squillæ, mēſis quidem

con=

www.libtool.com.cn



conueniunt, ſed coctu difficilia ſunt, ac ſi ſæpe in aqua dulci elixentur, aluum aſtringunt. Ius omnium quæ teſtis concluduntur aluum ducit, hanc ob cauſam terreſtres quoq; cochleæ uentrem ſoluunt. At uero duræ carnis & coctu difficilis ſunt, quæ licet nutriat, mali tamen ſucci eſt, quapropter nõnulli ius cum garo & oleo condiunt, atq; ſic uentrem ſubducunt.

Echini modice refrigerant, parum alunt, atque urinam cient.

## DE MOLLIBVS.

Molles piſces, ut polypi, ſepiæ, lolligenes, duri ſunt, coctioniq; renituntur, præſertim polypi, atq; ſalſum quodammodo habent humorem. Si uero concoctione uincantur, haud parum alimenti corpori præbent.

## DE CARTILAGINEIS.

Ex genere Cartilagineo, torpedines, paſtinacæ, molli atq; predulci carne conſtant, quæ et celeriter ſubit, & facile concoquitur, alitq; Raiæ, leuiraiæ, ſquatinæ, & reliqua huiuſce modi genera, duriora coctuq; difficiliora ſunt, & plus alimenti præbent. Atq; in totum, duræ carnis animalia, haud facile concoquuntur, ſed & ualens & ſolidum alimentum præbent.

www.libtool.com.cn


## DE CETACEIS.

CEtacea, ut balena, uitulus marinus, libella, delphini, & thunni prægrandes, duræ & coctu difficilis ſunt carnis, ac craßi ſucci. Sale autem condita moderatiora redduntur, atq; alijs piſcibus humidiora. Superfluitatibus magis abundant, & ad perturbandum proniora ſunt. Salſamentorum differẽtiæ, piſcium ex quibus conſtant ſequuntur diſcrimina.

## DE VINI potentia.

QVi ſanitati ſtudet, quanta ſit uini potentia ignorare nõ debet. Itaq; in uniuerſum omne quidem uinum nutrit, idq́; magis ſi rubidum, craſſumq́; eſt, ſed hoc minus boni ſucci eſt.

### Dulce.

Dulce uero, quamuis nutriat ſtomacho tamen alienum eſt.

### Acerbum.

Acerbum ſtomacho quidem gratum, ſed non facile tranſmittitur, ac minus alit, idq́; multo minus ſi fuerit album.

### Fuluum.

Fuluuo nullum aliud melius eſt.

Vinum

www.libtool.com.cn



## Vinum Vetus.

*Vetus uinum recenti calidius, ſicciusq́; eſt. Atque in ſumma uini potentia hæc eſt.*

*In totum uero uinum calorem noſtrum excitat, unde & coctio melior, & ſanguinis utilior fit. Cibum, utpote facile penetrans in omnes partes deducit, ob quàm cauſam attenuatis quoq; ui morbi, bonum habitum reſtituit, cibi appetentiam erigit, pituitam extenuat, bilem per urinas expurgat, colorem emendat, animum hilariorem iucundumq́; reddit, corporis robur auget. Atque hæ ſunt uini modice epoti commoditates. Immodice uero ingeſtum, contraria efficit, hinc temulentorum euerſiones, dementiæ, ſoporesq́; perueniunt. Quapropter cauẽda eſt immoderata uini potatio, quamuis ſi ex longis temporum interuallis liberaliter bibatur, commoditate non careat, quandoq́; urinas abunde mouet, ac ſudores profundit. At mox aſſumpto mulſo ipſum euomere ſatius eſt, ut ne paruæ quidem noxæ ueſtigium relinquat. Igitur potationi operam daturus alio cibo non admodum ſi replere debet, atque inter bibendum Braßicam elixam edere & bellaria, præſertim quæ ex amygdalis conſtant, deguſtare. Hæc enim capitis dolorem leuant, neq; ullam uomentibus moleſtiam afferunt. Ac macerati quoq; abſynthij cremor ante potationem ſumptus, haud mediocriter auxiliatur, ut ne aliud quidem inueniri poßit crapulæ magis inimicum.*

www.libtool.com.cn


*Quod ſi quempiam mordeat uinum, frigidam aquam bibere debet. Poſtero die abſynthij cremorem ſumere, ambulare, fricari, lauacrum ingredi, atq; ſubinde exiguo cibo refici.*

## DE MELLE ET Mulſo.

*MEl, coctũ magis alit, quàm aluum ſubducat, non coctum, contra, ac frigidis humidisq́; temperaturis conuenit. Mulſum bilioſis nõ admodum prodeſſe uidetur, quippe quod ipſis in bilem uertitur. Igitur huiuſmodi naturis oportet ipſum magis aquoſum exhibere, at quibus uiſcera quoquomodo afficiuntur, ijs alienum eſt.*

*Cæterum hoc modo mulſum præparatur, octuplum aquæ melli adijcitur, ac donec ſpumare deſierit coquitur; ſpumam uero ſimul atq; orta eſt, iugiter auferre oportet.*

## DE SOMNO.

*SVpereſt poſt omnia quæ de uictus ratione diximus, ut de ſomno quoq; diſſeramus, quippe qui omnium ultimus magna ex parte admittitur. igitur ſomnus, ut formula quadam loquamur, eſt animalium uirium quies, ab utili humore cerebrum madefaciente proueniens. Hunc qui recte capeßit, multa conſequitur commoda. Cibos enim conficit, humores digerit, dolores ſedat, fatigationes ſolatur, rigida relaxat*

www.libtool.com.cn


laxat, animi ægritudines obliuione delet, mentis inſaniam corrigit. Tempus ſomno accommodatiſsimum eſt, poſt cibum, interdiu uero factus, haud omnibus idoneus eſt, id enim tempus quo dormiunt aliqui, haud ſatis eſt, ut in eo cibi perfecte conficiantur. Interciſa enim ante ſuam horam concoctione, per meridiem exurgentes ſæpenumero acidum ructant, flatibus implentur. Nonnulli fluctuatione quoq; moleſtantur, niſi uel ex cōſuetudine, uel quia ſatis dormierunt, huiuſcemodi caſus effugiant.

Nocturno autem ſomno haud alius melior eſt, ſiquidem nox ſuapte natura tum humore, tum tranquillitate ſomnum alliciens, coctionem perfectam efficit.

Præterea poſt nocturnos ſomnos, magna ex parte ad excrementa deijcienda feſtinamus. Temporis autem ſomno debiti terminus, ex alimentorum perfecta concoctione ſumitur, quam tum ex ructibus, tum ex uentris contractione deprehendemus. Poſt hanc, excitatio non inutilis eſt, utpote, quæ concoctionis excrementa ad ſeceſſum agit.

## DE VIGILIA.

Vigiliarum, quæ iam ægrotantes, aut ex dolore, aut febri, aut alio quouis accidente infeſtant, curationem, in libro de febribus perſequemur.

In præſentia uero de his uigilijs

www.libtool.com.cn



dumtaxat dicendum eſt, quæ ſanos interdum male afficiunt. Igitur ſi uel ob mœſticiam, uel ſollicitudinem, aut aliam animi ægritudinem quis uigilauerit. Imprimis mœrorem, quoad fieri poteſt, fugabimus. Deinde ſonorum ſuauitate, cogitatio abigenda eſt, id quod nonnulli per lenes aquæ ſonos efficere moliuntur, qui enim ſic demulcentur, facile ſomnum ſubeunt. Ac balneum quoq; potiſsimum in ueſpera, cum bene concoxerit, ingrediantur. Cibumq́; humectantem aſſumant, ut lactucas, aliosq́; huiuſcemodi. Nigri quoq; papaueris uiridia folia obſonijs interdũ adijciant, piſces coctu faciles edãt, Vinum tenue, non antiquum, liberaliter bibant. Cubile petituri; roſaceo caput ungant, aut oleo, in quo papaueris capita, aut mandragoræ decocta fuerint. Anethinum etiamnum recens, ſomniferum eſt. Nouimus nonnullos poſt fatigationem ſubito quieuiſſe, ac ſubinde dormiuiſſe. Idq́; ex modica etiam Venere accidere ſolet. Alij infrigidato capite uel pedibus, ſomno facile corripiuntur. Quod ſi ob cibi uel multitudinem, uel maliciam, grauato ſtomacho, aliqui uigilare cogantur, nam & hoc accidiſſe compertum habemus, quemadmodum alij rurſus præter conſuetudinem aut ieiunantes, aut exiguum cibum ſumentes, dormire nequeunt, perpendere oportet, atq; cauſſam auferre.

## DE SOPORE

www.libtool.com.cn


SI uero rurſus profundi, ueternoſiq́; ſuperuenient ſomni, ab aßiduis lauacris, atq; refrigerante unctione abſtinere oportet. Apophlegmatiſmis uero uti, atq; omnino uictus rationem calidiorem, aridioremq́;, & exiguum alimentum exhibere, quandoquidẽ huiuſcemodi affectus, à frigidiore, humidioreq́; materia cerebrum irrigante, magna ex parte accidit.

PAVLI AEGINETAE DE RATIONE VICTVS. FINIS.

ARGENTORATI EXCVDEBAT GEORGIVS VLRICHER ANDLANVS, ANNO M. D. XXXI. Menſe Sept.